




Sammelband

16362.



4
SYNESII CY-
RENAEI ORATIO
AD ARCADIUM THEO-
DOSII F. DE REGNO, ID EST,
De officio Imperatoris seu Regis:
Continens præcepta salutaria
rebus communibus
& priuatis.

CONVERSA IN LATINUM
SERMONEM.

ADDITA HISTO-
RIOLA DE AVTORE.

A Ioachimo Camerario
Pabeperg.

LIPSIÆ.

IN OFFICINA VALEN-
TINI PAPÆ.

Anno

M. D. LV.

lg. 3546

SYNESE
REINHEIT
AD ARCADIA
BOON N DE BOON
De officio Imperatoris per Reges
Comitatus deceptis
rebus comitatus
& privatis
CONVERSAS IN LATINUM
SERMONEM

AD DIT A HISTOR
R. O. A. D. A. V. T. O. R.
A. J. O. S. E. P. H. O. S. C. A. R. O. S.
H. O. P. E. R. T.

IN P. S. I. A.
IN O. P. O. R. T. A. T. I. O. N. E.
S. I. M. O. N. I. A. T. I. O. N. E.
S. I. M. O. N. I. A. T. I. O. N. E.



MAGNIFICO
DOMINO IOHAN-
NI BONAR, LIBERO BA-
RONI ETC. MAGNO PROCURA-
tori generali &c. & Capitaneo &c.
Ioachimus Camerarius
Pabepergensis.
S. D.



INCIDI HIS DIE-
bus in lectionem disputatio-
nis cuiusdam de Regno, cui-
us autor esset Synesius, quæ
apparet & prudentem at-
que doctum, neq; infantem
aut indisertum, ut sua ætate,
uirum fuisse. Cum autem mihi & ualde placeret ho-
minis in monendo præcipiendoq; libertas, & multa
non modo uerè sed & sapienter exponi uiderentur,
uenit in mentem mihi, operæ me præcium esse factu-
rum, si in Latinum sermonem illam disputationem
conuertissem, ut à pluribus cognosci hæc posset. In
spe quadam aliquid fructus allaturam illam esse, no-
stris etiam temporibus, quibus & ipsis à moribus
maiorum, & illa uita antiqua, ueteriq; uirtutis cultu
aberrantibus, magnopere opus est tanquam ægrotis
& depositis, salutaris orationis medicina. Quem-
admodum

admodum autem morbis uulgò grassantibus, quos
 ἐπιδημίας Græci nominant, cum Medici imprimis
 requirantur, plurimi quidem intereunt, & aliqui ta-
 men horum ope conseruantur, Ita fit, ut uitijs accu-
 mulatis & laborante undiq; Repub. optimis præ-
 ceptis sapientie maximè sit opus. sed his minimè mul-
 ti tunc parere solent, solent tamen aliqui. Quorum
 unus aut alter, oblatis his toto pectore exultat & ita
 est animatus, ut ille, qui ait:

ἀλλ' οὐθὶ δὲ
 ἀγαθὸν οὐδὲ
 ἐστὶν ἐπιπρῆ-
 κτῆσθαι, ἀλλ'
 ἀνδρῶν.

μᾶλλον ἐγὼ τινυτοῖο παύσασθαι ἀνέρο
 εὐζῶν
 τέρσομαι, ἢ πορ ἕσθον ἀπάντων κοίτων
 ἀνδρῶν.

Cum autem conuersionem nostram coepissem descri-
 bere, mihiq; tum forte Georgij Ioachimi nostri epi-
 stola prædicatrix uirtutis sapientiæq; & munificæ
 erga se uoluntatis tuæ, allata fuisset, statim in mentem
 uenit hunc laborem conuersionis nostræ ad tuam
 magnificentiam, peculiariter esse mittendum, à quo
 possent ista cum magnis & honoratis uiris quàm plu-
 rimis communicari. Quorum ubiq; locorum atq;
 gentium præcipuos, non modo notos tibi, sed & ami-
 cos, & non paucos familiares, esse oportet. Atq; ita
 facere uisum est. Ante autem Synesianæ disputatio-
 nis expositionem, placuit de quibusdam quæ illa sub-
 iecit, quasi Procemij uice tecum confabulari, quod
 arbitrarer tuam eruditam magnificentiam, non se-
 cus quàm me & complures alios, de diuersorum
 temporum atq; hominum statu ac conditione cogi-
 tantes,

tantes, quærerere animo suo causas, cur plerunq; rebus corruptissimis & deprauatissima uita, cum maxima existeret copia disputationum doctrinæ, & singularis cura studij, ad instaurandum melioremq; in formam redigendum neglectione labefactata & improbitate euersa, parum admodum uel nihil potius ad emendationem profectum esse reperiatur. Quin hoc etiam animaduertitur, inter alia, signum propinque ruinae, multorum quasi fabrorum concursus, & impendentis interitus, Medicorum turba. Nemo tamen existimauit unquam, esse hanc culpam eorum qui uera ratione consulere malis studerent, sed pestis occulte auctæ uiribus & diuturnitate robustæ, cum iam sero, ut ait Poëta,

Medicina paratur,

Cum mala per longas inualuere moras.

Licet autem intueri quasi in speculum fatalium euentuum, & de historia considerare, tam initia quàm progressus nec non finem omnium eorum, quæ inter homines laudem habent, & utilitatem complectuntur. Ac apparebit hanc esse naturæ quandam legem, ut rebus & actionibus præclaris, consilijq; gloria & operum pulcritudine florentibus atq; conspicuis hominibus, & præstantibus uirtute ac sapientia, minimè sit uerbosa prædicatio, utq; orationis doctrina studio & industria aliquid præclare gerendi anteuertatur. Itaq; & ingenio eximio & cognitione ac scientia admirabili illis maxime sæculis & locis homines fuisse constat, quibus minimè multa scripta frequentarentur. Duces autem & Imperatores

A 3

fortissimi

fortissimos, non de commentarijs quasi conformatos,
sed exercitatione & usu rei militaris eductos, & ut
ita dicam procreatos esse. Ad Romulum neminem
opinor, neminem certè constat, scripsisse aliquid de
ordinanda Repub. ad Cæsarem autem & alios scri-
psere complures, illa nihilo minus tum precipitante
& ruente, sicut constitui & firmari antea coeperat.
Idem de alijs facultatibus & artibus uerum esse ani-
maduertet, qui uoluerit considerare. Nam quando
minus propriè & politè homines locuti fuere, quàm
exaggeratis commentationibus Grammaticis? Quid
autem post Demosthenem & Ciceronem modi in
Rhetoricis præceptis contexendis seruatum? Sed
quæ postea eloquentia fuerit & esse deinceps coepe-
rit non est obscurum. Eodem modo de architectu-
ra, de pictura, de alijs, dici posset. Præclare igitur
Herodotus scripsit, quem autorem maximi facio ani-
mo meo, uel non errante iudicio mediocris intelli-
gentiæ, uel amore institutionis puerilis, in qua hoc
autore de sententia magistrorum meorum imprimis
usus sum. Ille igitur ita in Thalia: Multa sunt, in-
quit, quæ oratione explicari nõ possunt, re possunt.
Alia quædam sunt, quæ oratione possunt, Res au-
tem nulla præclara inde existit. Sed deficit in his
nostris profectò, Græcæ expositionis elegantia atq;
nitor, quæ cum uerbis tum compositione ita lucu-
lenta est, & suauis, ut illa ipsa Musa, cuius nomen li-
bro inscriptum, dulcius & speciosius hæc pronun-
ciare non potuisse uideatur. Quid igitur prohibet
Græca

Græca ipsa quoq; subijcere? Nihil, ut opinor, nos
 quidem, qui utriq; linguæ operam iampridem da-
 mus, & hæc ad lectionem similiter utriusq; linguæ
 studiosorum elaboramus. Sic igitur Herodotus:
 πολλὰ ὄσι τὰ λόγῳ μὲν οὐκ οἶάτε δηλώ-
 σαι, ἔργῳ δ'έ. ἄλλα δ'έ ὄσι, τὰ λόγῳ μὲν οἶ-
 άτε, ἔργον δὲ οὐδὲρ ἄπ' αὐτῶν λαμπρὸν γί-
 νεται. Sed nos, quid significetur hac sententia, con-
 templemur. Nimirum hoc ille dicit, Sapientiam &
 uirtutem esse ipsam efficacem atq; strenuam, absq;
 etiam disputatione & incitatione uerborum. De-
 clamationum autem & multiplicium sermonum o-
 pus, illa ista cura absolui, & absolutum plerunq;
 euanescere, ut maxime loquaces minime sapientes &
 fortes reperiantur. Idq; usq; adeo uerum est, ut in
 singularum etiam artium professione, quiq; maxime
 disertis & suæ artis quasi præcones, minime præclara
 opera & admirabilia elaborent. Contra uerò illi
 diuini artifices efficere egregia opera sciunt, prædi-
 cationem & declarationem artis alijs relinquunt.
 Cum autem inter omnes artes, facultas & copia bo-
 næ & elegantis orationis excellat, & sine hac nihil
 celebrari, nulla ars aut scientia explicari possit, Si-
 tum paucissimi uel uitæ uel aliarum rerum artifices
 reperiuntur, cum præceptionum maximarum in me-
 dio est multitudo, et inter uerba res ferè euanescent:
 Quo ore nos, ut de præcipua disciplina & commu-
 ni quadam ingenij atq; industrie instructione iam
 potissimum loquamur, Quo inquam ore nos toties

studia literarum atq; artium bonarum, prædicauimus? Aut quid est, quod Poëta ait?

9
lib. can. 001 9
Morat:

Doctrina sed uim promouet insitam.

Rectè quidem hic, neq; nos, nisi fallor, perperam. Sed hæc differenda sunt accuratius. Primum igitur ita tempora ipsa natura distinxit, ut modò fortiter & splendide atque sapienter uiuatur, modo fortis & splendida atq; sapientis uitæ ratio uerbis ornatè & copiose explicetur. Quorum unum est rerum gerendarum & factorum laudabilium, alterum eloquentiæ & disputationum. Similiter & de artibus modo dici præcipi q; modo artificiose fieri & componi aliquid solet. Præcepta autem ab operibus ita distinguuntur, ut in minimo apparatu illorum hæc luculentissima sæpe proferantur. Cum autem semper posteriora sint uel ætate, uel dignitate & loco, actionibus, consilijs, factis, ea quæ celebrandi illa & amplificandi causa commemorantur, ut Achillea, uerbi gratia, facinora & poëmata Homeri: Ita diuidi hæc necesse est, ut unum alterum incitet atq; commoueat. Nam uirtutis & sapientiæ quasi naturales foetus cum conspicui esse & ante oculos hominum uersari desinunt, tum succedit altera quædam facultas ingenij & elocutionis, quibus præterita narrando represententur, ut cum re ipsa iam neq; in medio positis exemplis doceri homines possint, hoc tamen fiat, ut doctrina & demonstratione utili ueteris uirtutis atq; sapientiæ instruantur, utq; ea quæ aliquis infortunij casus aut calamitas interceptit atq; deleuit, ista

ista artium & literarum cultura reparentur. Atq;
ut de initijs omnium doctrinae literarum & eloquen-
tia, hoc quoq; loco aliquid dicamus, quae est Gram-
maticae, nisi huius praecipua tam diligenter literis fu-
issent mandata, nunquam reparari amissa & pene
extincta bonarum artium & humanitatis studia po-
tuissent. Nunquid uero, ut legum copia minime
coercuisse malos mores inuenitur usquam, ita con-
seruata harum descriptio ad qualemcunque statum
Reipub. & gubernationis successum profuisse ani-
maduertitur? Quemadmodum igitur (ut rerum ac
uerborum contentionem prosequamur) fatendum
est feliciora & diuiniora esse semper, ea tempora,
quibus & ij homines florent, & ea res excogitan-
tur atq; exercentur, quae ingenio eruditorum & uer-
borum coloribus postea exponantur & depingan-
tur, Sic donum esse hoc existimandum est propitij
Dei eximium, copiae inquam literarum et artium bo-
narum, & quasi recordationis atq; tractationis an-
ticipi decoris & generis prisca, illam auream aetatem
ueluti designantis atq; effingentis & illustrantis.
Quod quidem bonum, uita & moribus non optimis
& mala disciplina ingrauescente, cum largitur cle-
mentia diuina, tum in maximo discrimine res uerti-
tur. Aut enim hoc accipiunt amplectentes & tu-
entes homines, quae spes ostenditur ad meliora, aut
respuunt despicientes ac negligentes, estq; hoc iter
ad barbariam, in qua diuina & humana omnia per-
uertit, & eam iam uitam deigi necesse est, in qua non

modo nihil laudabiliter geri aut utiliter administrari
 possit, sed ne per nebulam quidem, ut dicitur, laus &
 utilitas conspici soleat, obstante caligine errorum &
 dementiae, uel superstitione, uel furore, uel utroque
 malo captis correptisque animis. Quapropter non
 Homerus ille quidem cum Achillis uirtute aut excel-
 lentia Agamemnonis conferri debet aut potest, sed
 huius libri & maximos ciuitatum principes, & po-
 tentissimos Reges cum scientia augere, tum uolunta-
 te conuertere potuerunt, ad ea aggredienda & per-
 ficienda, quibus suis ciuibus uberrimos multiplicium
 commoditatum fructus, sibi nomen & bonam famam
 pepererunt, & ad posteros gloriam reliquerunt sem-
 piternam. Alter aliquis & hunc & huic similes
 quasi praecones uirtutis atque sapientiae spreuit atque
 repudiauit. Hic & sui saeculi quasi tempestas quae-
 dam hominibus & pecori, ut aiunt, urbibusque & a-
 gris perniciem, uastitatem, mortem, interitum attu-
 lit, omni pristina felicitate exterminata, pro qua tunc
 subit,

συναγμός, ἄτη, θάνατος, ἀιχμή, κακῶν
 ὅσ' ἔστι πάντων ὀνόματ' οὐδέ ἐστιν ἀπόρ,
 secundum Tragediam. Atque haec est illa à Poëtis
 talis immanitatis imago proposita, Cycloperum & Læ-
 strygonum turba, in communitate quidem illorum
 quadam uiuentium, sed eiusmodi, quae partim inter
 ipsos distraheretur, apud Cycloperas nemine audiente
 aut curante alterum, partim externis esset letifera,
 quae fuit disciplina tam horum, quam Læstrygonum
 elidendi

elidendi & deuorandi hospites. Hi sunt barbariae mores, iam omnibus monitis humanitatis refragantis. Non laudis mentio, non conditionis communis hominum admonitio, non metus diuini numinis & religionis oratio, non supplicationis humilitas, istorum animos immites & ferreos mouet.

Deliras (inquiunt) uel ades longinquis hospes ab oris,

Qui censes diuos à me metuiue coliue.

Nulla Deum tangit Cyclopum pectora, cura.

Et,

Postremum te post socios epulabor, & à me

Hoc tibi munus erit.

Ista Sarracenicæ est & si qua tetrior barbaria, aliena à uirtute & sapientia, inimica artibus bonis, hostis literarum, scelerata, nefaria, impia. A cuius dedecore, foeditate, turpitudine, ut tristitiam, clades, detrimenta, exitium non dicam, si abhorremus, culturam nobis bonarum artium & literarum studia cordi esse oportet, quod diuinitus remedium ostenditur huic morbo. Idq; repudiantes aliqui incipiunt nunc quoque & in nostris nationibus ita strenuè βαρβαρίαν, ut si perrexerint, extremae barbariae uesaniam superaturi etiam esse uideantur, Sed de hoc nihil dicam amplius, neq; in hac parte iritabo dolorem nostrum. Hoc licet animaduertere, ad salutem & conseruationem Reipublicæ, mediocrem facultatem concedi à propicio Deo ætati nostræ, & adiumenta necessaria utilis & salutaris institutionis nobis non deesse

deesse, integris adhuc admirabili beneficio æterni
Dei, & saluis ijs libris, quibus uirtutis & sapientiæ
monumenta non obtrita neq; obscura, sed clara &
expressa continentur, cum non modo sine damno, sed
etiam cum aliqua commoditate innumerabiles alij
interierint, partim igne hostili consumti, partim situ
deleti, partim etiam consulto e medio sublatis. Itaq;
nunc hoc reliquum est ad spem incolumitatis, ut di-
gnitatem omittamus, ne cultura artium & literarum
deseratur, utq; qui possunt, possunt autē opulenti &
dites, huius quasi operas procurent, suppeditando ea
de quibus hi labores & suscipiantur & perferantur
& continuentur. Quibus uerò hoc tantum boni
paratur, ij uideant ne oscitantia & desidia sua, occa-
sionis, cuius præteruolare rectè dicitur opportuni-
tas, momento amisso, postea frustra requirant præte-
rita. Alij caueant ne quibus probitas & candor &
mentis bonitas comparari instruiq; debent, ijs ad pe-
tulantiam & maliciam & fraudulentiam abutan-
tur. Quod plerunq; faciunt non tam indocti quàm
semidocti, qui cum ipsi nullius excellentiæ conscij sibi
sint, alijs hanc famam inuidentes turbando & tu-
multuando, & obtrectando præstantioribus, quod
maximè popolare esse sciunt, & audientiam ali-
quam sibi facere, & existimationem conciliare stu-
dent. Sunt etiam ita quidam peruersi, ut nulla con-
sideratione sed simpliciter improbitate animi impul-
si, petulantia & contumelijs indulgeant, in quibus
secundum Eueni uersum, ὕβρις ἡδὲ καὶ ἄνοια οὐ-
δὲν,

δὲν, ὅμως ἀδίκῃ. Aduersus quæ incommoda,
uel quam potius infelicitatem, & bonæ artes atq; li-
terarum studia diligenter & sedulo tuenda admini-
strandaq; & colenda sunt, ut inde is fructus percipi
possit, quem & ipse Deus uult, & qui à suæ salutis
cupidis percipi debet. Quod si quis repudiando
ista benignitatis & singularis fauoris diuini munera,
ipsum simul hoc facto autorem & largitorem parui
pendere ausus fuerit,

ἔδονω τοι κυρία τ' ἐν ἡμέρα,
ut ait Aeschylus,

θεὸν γ' ἀτίζωρ ὁ δὲ θεοτὸς δῶσθ' δίκω.

Qua sententia aliquos condemnari horribile, &
hoc omen ut auertatur, Deum orare supplicibus pre-
cibus omnes pios par est. Verum nimis fortasse lon-
gè excurret iam hæc disputatio. Mihi tamen tecum
de his differere iucundum, & tibi horum lectionem
nonnihil cogitationum prudentiæ excitaturam esse
sperabam, quibus te delectatum iri esset necesse.
Quamuis autem potuissem de ijs quæ Synesius disse-
ruit, ipse quoq; quasi intuens in hanc nostræ ætatis
uitam, mores, homines, aliquid uel monere uel etiam
præcipere, (non enim certè uererer eorum incre-
pationem, qui tanquam cochliam intra testam me
iuberent continere, deq; schola & ocio ad Rempub.
& gubernationes erigere me uetarent, dicerem enim
his id quod Ascræus poëta,

ἀλλὰ καὶ ὡς ἐρέω ἕως νόον ἀιγιόχοιο
μῦσαι γὰρ μ' ἐδίδασκαν.)

Sed

Sed quamuis neq; diffideremus hac in parte uiribus,
neq; aliquam reprehensionem metueremus, tamen
melius fuerit huius argumenti opus separatim ali-
quando, si uideatur, à nobis explicari. Interea Syn-
esiana legens, cum huius industriam & doctrinam
& libertatem probabis, tum nostram interpretatio-
nem neutiquam contemnes. Neq; ego uerò quic-
quam quæro amplius, mihiq; satis erit, placere tibi
rationes & laborem meum, ut si aliquid præterea
aut aliunde boni emolumentiq; accedat, & ad me
uel alios perueniat, id fortuitum neq; expectatum
esse uideatur. Ad conuersionem quidem quod atti-
net, scio non defuturos qui hanc alicubi reprehen-
dere, uel totam quoq; rationem huius improbare au-
sint. Cum quibus litigare non uolo. Atque ego
cum, quia rem esse difficilem scio, bene facta in una
quapiam lingua, eleganter & perspicue transferre
in alteram, tum alijs de causis non frequentem ope-
ram in hanc esse partem dandam putauit. Neq; ali-
orum facilitatem in isto genere non admiror, neq; in-
dustriæ obrecto, neq; inuideo successibus. Ipse quam
laboriosa res sit, proprie & significanter & politè
præclara scripta in diuersum sermonem traducere,
mihi uideor re ipsa comperisse. Synesij autem ora-
tio imprimis peculiaris cuiusdam modi est, non solum
abhorrentis à natura Latinae linguae, sed à ueteris
quoq; Græcæ forma alienioris. Affectauit illa ætas
& breuitatem sententiosam ac rotundam, atq; tere-
tem commatis, id est, incisam & quasi uibrantem.

Et au-

Et audacter metaphoris usa est, sine mitigatione ulla,
& uerbis singulis orationem reddere studuit lucu-
lentam & claram, quod genus ἐμφατικὸν Græci
nominarunt. In lingua autem Latina qui minus pro-
prietatem uerborum & figuras locutionis curant,
quiq; adeo studium compositionis negligunt, ijs ut in
procliui sunt conuersiones, ita audaciam interdum
illorum parum feliciter cadere necesse est. Iam con-
stat in summa eorum qui hos libros ediderunt dili-
gentia & assiduitate, nonnihil mendorum occurrere
legentibus, in quibus tollendis coniecturæ soli locus
relinquitur, destitutis copia aliorum exemplorum.
ut autem in prædictionibus futurorum, ita istis cor-
rectionibus,

μάντις ἄρις & ὄσις εἰκόλῃ καλῶς.

Restat ut ad Synesianam expositionem acceda-
mus, de qua eruditos & doctos iudicium facere non
modo non est mihi contrarium, sed omnino gratum
& acceptum futurum, & ut libere ingenuèq; faci-
ant, non acerbè neq; insidiosè, oro. τῷ δ' ἄλλω
πανσόφω τε ἅμα καὶ παντόλμω κτήσῃ
ἡμῖν μηδ' ἄνδρ' μέλῃ, secundum Aeschylum.

Tuam magnificam humanitatem, uirtu-
tem, sapientiam bene ualere

opto. Vale. Lipsiæ

CL. Septemb.

NARRA

NARRATIO DE AVTORE.



DE SYNESIO EVA-
grij & Nicephori extat
brevis mentio, à quibus &
studium philosophiæ & ui-
tæ integritas huius prædi-
catur. Sed mihi uisum fuit
paulò diligentius quedam
de ipsius maximè scriptis
conquirere, cum de Synesij uita atq; moribus, tum
statu ac conditione temporum quibus ille floruit.
Ea sunt Valentiniani, Gratiani, Theodosij, Arcadij,
& fortasse attingunt posterioris quoq; Theodosij
imperium, Extat enim epistola ad Anthemium tan-
quam singulari potestate præditum, cui scimus qua-
si tutelam Theodosij iunioris & administrationem
rerum commissam fuisse. Patrem Synesij certas con-
iecturas secutus, nomen puto habuisse Hesychij. In-
ter quas hæc est, quod max. natu filiorum Synesij
hoc nomine appellatus fuisse uideatur. Veteri au-
tem consuetudine primo partu editis filijs auorum
imposita nomina fuisse scimus. Patria fuit Cyreneus,
familie nobilis atq; honestæ. Atq; ipse sui generis
seriem in tabulas publicas relatam esse ait, usque à
principe

principe originis Eurysthene, quo ductore Spartam
Dorienses uult occupasse. Scripsit autem & Hero
dotus Eurysthenem ac Patroclum Spartæ guberna-
tionem esse sortitos, cum ipsos Lacedæmonios per-
hibere tradat, Aristodemum horum patrem, poste-
ritatem Herculis in illa loca deduxisse. Eumq; fuis-
se abnepotem Herculis. Herculis enim & Deianiræ
Hyllus. Hylli Cleodæus. Cleodæi Aristomachus pa-
ter Aristodemi. Plato autem post bellum Troianum
uariè & multipliciter turbatum fuisse putat in ea
parte Græciæ imprimis quæ fuisset subiecta ditioni
Pelopidarum. Collegisse autem quendam Dorien-
sem (nescio patriæ an suo nomine) exules & dissipatos
Græcos, post Troiæ euerisionem, & ab hoc Do-
rienses appellatos qui ante Achiui fuissent. Iisdem
temporibus (quæ non longè abesse oportet à regno
Salomonis) Theras quidem origine Pœnus, auuncu-
lus Eurysthenis & Patroclis, perfunctus tutela cum
sororis filij adoleuissent, quorum loco regnum ipse
tenuerat, quod parere non didicisset, deducere colo-
niam instituit in Insulam, unam ex numero Sporadi-
nomine Callisten. Quam cum Spartiatis compluri-
bus, tum aduenis Minyis adiunctis, occupauit, &
hæc ab ipsius deinde nomine Thera fuit appellata.
Ex hac Aristoteles cognomento Battus coloniam
deduxit in Libyam & condidit Cyrenas. Atq; fuit
hæc aliquando potens ciuitas & opibus atq; uiris
florens, sed bellis uastata, ab Alexandro instaurata
esse perhibetur. Huius ex sapientibus & doctis ci-

B

ues

ues fuere Aristippus Socraticus, Callimachus, Erato-
sthenes, Carneades & Apollonius. Fuit & Syn-
esius, de quo hæc instituta narratio est. Qui philo-
sophiæ studijs cum se totum tradidisset, Athenas quo-
que fuit profectus. Vbi tamen nihil reperit quod ad
instructionem ingenij & doctrinam prodesset. Ne-
gâtq; ipse in quadam epistola, se cognouisse Athenis
quicquam quod præclarum esset aut dignitatem ha-
beret, præter locorum quorundam inclita nomina,
quæ essent quasi mactatæ & absuntæ hostiæ pellis
reliqua, de qua quid animalis illud olim fuisset, fieri
coniectura posset. Itaq; iam cum philosophia, in-
quit, emigrarit, hoc restat, ut Athenis inambulans
aliquis admiretur Academiam & Lyceum, & illam
pictam porticum, cuius nomen Chrysippi philoso-
phiam celebrat. quæ tamē iam picta esse desijt. Præ-
ses enim tabulas abstulit, in quibus artificium suum
collocarat Thasius Polygnotus. Nostris autem tem-
poribus, philosophiæ altrix est Aegyptus de Hypa-
tiæ foetu. Athenæ uerò olim fuere urbs, domicilium
sapientum, at nunc mellificio tantum nobilis. Hæc
ferme Synesius, scribens fratri. Alexandria autem
in Aegypto & studuit, & duxit uxorem, & liberos
procreauit, filios tres, quos cum maximo, uel incre-
dibili potius dolore animi amisit. tantum enim hunc
fuisse significat, ut ægrè factum sit, quin illo impul-
sus, ipse in sese aliquid grauius consuleret. Hypatiam
in primis & coluit & dilexit, quam & matrem &
sororem & Magistram uocare solitus fuit. De qua
hoc

hoc loco quædam commemorare non putauimus ali-
enum. Theon fuit Aegyptius uir doctus, inter eru-
ditos princeps, quorum coetus $\mu\sigma\sigma\epsilon\iota\omicron\upsilon\pi$ appellare-
tur. Hic & philosophiam aliam & imprimis Ma-
thematicas disciplinas coluit. Cûq; filiam suscepis-
set, Hypatiæ ei nomen imposuit, & optimis illam ar-
tibus instituit. Quæ ingenio præstans celeriter com-
prehendit ea, quibus intelligentiæ & menti huma-
næ scientia & cognitio uel uniuersa uel præcipua
conciliatur, inter quæ primas tenet Geometria, &
sapientiæ humanæ quasi colophon est Astronomia.
Cum autem Hypatia ardens studio sapientiæ atque
uirtutis nupsisset Isidoro, illis temporibus celebri
Philosopho, non dubitauit & pallium induere &
inter uiros uersari atq; in publicis coetibus de studijs
sapientiæ disputare. Quod & ante fecerat Athe-
nis, quando forma ac ætate florens & coepit amore
suo adolescentem scholasticum, & liberatum demon-
stratione fœditatis cuius corpus esset particeps, ad
castitatem conuertit. Illa tempestate Cyrillus Epi-
scopus Alexandriae qui patruo Theophilo successer-
at, cum præside Oreste nonnihil simultatis exercu-
it. Atq; Cyrillus is fuit, qui, quemadmodum scripsit
Socrates, ita se in illa curatione gereret, ut guberna-
tionis ciuilibus potentiam & speciem principatus sibi
circundaret. & hoc autore cepisse ait Episcopus
Alexandrinus ordine atq; iure sacerdotij ad domina-
tionem & tractationem alienorum negociorum ab-
uti. In hoc cum esset ambitio uehemens, odium ad-

vet sus Hypatiam accendit ueneratio & cultus illius.
Nam cum magna multitudo aliquando ad aedes Hy-
patiae salutandi caussa conueniret, praeteriens forte
illac Cyrillus Episcopus, interrogauit, quid sibi iste
concurfus uellet. Cūq; audiisset, officium hoc salu-
tationis praestari magistrae philosophiae, quam ille
iamdudum cum ab omnib. alijs tanti fieri, tum apud
praesidem in honore esse, dolebat, tantam inuidiae
acerbitatem concepit animo suo, ut interfectores sub-
ornasse credatur, à quibus illa crudelissimè trucidat-
retur. facinus certè adeo non improbauit, ut etiam
defendere uisus fuerit. Opinio fuit Hypatiam impri-
mis redditam esse multitudini inuisam, studio Astro-
nomiae, obtreçantibus hoc illi nomine Ecclesiasticis.
Quod sane studium grauius accusatum & uexatum
contumeliose, comperimus, ab alijs uera ratione &
religiose, corroborante se tum superstitionis uanita-
te & Magica uesania, cui inseruiret doctrina quo-
rundam, qui Platonici esse uellent: Ab alijs aemula-
tione & insolenter, qui in alijs esse liberalem cogni-
tionem qua ipsi carerent, iniquo animo ferrent. Atq;
boni & sancti illi quidem olim uiri, sed inconsideran-
tes & horridiores, canone Ecclesiastico nominatim
excluserunt Astronomiam. Non certè praclariss.
scientiam repudiantes, sed aliquorum condemnan-
tes leuitatem sub hoc nomine se occultantem. Simili
incogitantia legibus coniuncti fuere Mathematici
honestiss. ordo, cum maleficis, natione deterrima. Est
autem aemulatio uitium occultum & saepe in ani-
mum

mum magnorum uirorum se insinuans. quod nisi
prætexeret honestatis speciem, turpitude statim es-
set manifesta. Ad uulgus autem & imperitos facile
inuenitur, quid contra omnia ea declamitetur, quæ
laudem ingenij & conatus industriæ & uirtutis
splendorem complectuntur. Artium bonarum cul-
tura, eruditio doctrinæ, officij diligentia, disciplinæ
seueritas, aliquibus machinis insidiosè euertitur. qua-
rum sunt nullæ tam uehementes, quàm religionis &
pietatis præstigiosa obiectio. qua iudicia mirificè per-
celli & sententiæ labefactari solent, in ijs quoq; in-
terdum, qui neq; imprudentes sunt neq; indocti, quo-
minus mirandum, multitudini illis uociferationibus
imponi. Quemadmodum autem inuidia à prima
origine insita animis est, ut ait Herodotus, & hæc
cum petulantia coniuncta prauitatem consummat,
Ita illi indulgere est peruersissimi ingenij signum, se-
cundum Demosthenem, καὶ οὐκ ἔχῃ πρόφασιν,
δὲ ἢ ἢ ἄρ τὺχοι συγνώμης ὁ τὸ το πεπονηθῶς
Sed hæcenus recessisse ab instituta narratione suffi-
ciat. In Suida leguntur ea quibus Arcadio adhuc ui-
uente cædem istam esse patratam, significari uide-
tur. Sed Socrates tempus indicauit consulatum X.
Honorij & Theodosij VI. qui est annus post mor-
tem Arcadij septimus. neque attigisse hoc tempus
Synesium existimo. Facinoris quidem huius auda-
cia uel potius immanitas professioni Christianismi tur-
pissimam maculam inussit, ἀλλότριοι γὰρ πάν-
τελῶς τῶ φρονούων τὰ χριστὸν φόνδοι καὶ
μάχαι,

μάχαι, καὶ τὰ τοιοῦτοῖς πᾶσι ἀπλήσια, ut ait
Socrates. Synesius quidem scribens Herculiano Ηυ=
patiam nomine germanæ magistræ sacrae philoso=
phiae indicat, cum ait: αὐτόπισαι καὶ αὐτήκοοι
γεγόναμεν τῆς γνησίας καθηγεμόν^{ος} τῆς
φιλοσοφίας ὀργίωρ. Usus est & alijs tam con=
discipulis quàm amicis, & Theotecno, Athanasio
quopiam, Theodoro, Heliodoro Hermiae & Aede=
siae F. quem mater una cum fratre Ammonio ipsa
Athenas ad Proclum deduxit. Intercessit & usus illi
cum Simplicio, Troilo, Alexandro, Tryphone, Caio,
cum ipso Proclo, qui Syriano successerat, & succes=
sorem reliquit Ammonium fratrem Heliodori. Cum
Theotimo quem poëtam fuisse significat, & Theo=
dosio Grammatico, & alijs compluribus honoratis
& doctis uiris. Quanti autem fecerit hanc studio=
rum necessitudinem atq; coniunctionem, de epistolis
illius facile perspicui potest, quas posteritas maximè
admirata in summo precio habuit, compositas illas
quidem accuratè, ut perbelle sint. Cum autem alia
multa composuisse perhibeatur, ea quæ nuper pu=
blicata ad nos peruenerunt, in medio & nota sunt,
neq; indicatione nostra egent. In patriam Cyrenen
quasi de mercatu optimarum disciplinarum & artium
reuersus Synesius, pro afflictâ illa à latronibus pro=
pugnauit quoq; armis fortiter. Cum ab ineunte æ=
tate non modo literarum & sapientiæ, sed uenatio=
num quoq; & equorum studiosus fuisset. Atq; ijs de
rebus ad diuersos literas misit, præsertim ad fratrem
Euoptium.

Euoptium. Habuit autem & Amelium fratrem &
 Hieraca & Aeschinem. itémq; sorores. Alexandria
 discedens periculose nauigauit, cuius nauigationis
 expositio uenusta & copiosa perscribitur epistola
 quadam missa fratri. Cum autem Synesij tam præ=
 stantia doctrinæ quàm uitæ integritas, in tota Ae=
 gypto uel potius ubiq; gentium & locorum nota es=
 set atq; celebris, placuit eum Episcopum præfici pa=
 triæ. Sedes autem Episcopi in Pentapoli Cyrenaica
 Ptolemais fuit, antiquo nomine Barce. Nisi forte
 tota regio Ptolemaidos appellationem habuit. Hanc
 curationem sibi inuitissimo imponi tamen est passus,
 parens uoluntati Dei, cum urgeretur postulatione.
 Primum autem obstitisse sibi ait, scribens fratri, me=
 tum, ne non sustinere posset tam graue onus, & ut
 dignus esset munere atq; functione illa, cum esset, in=
 quit, in animo uetus hoc (quod Ibyci esse fertur) μή=
 τι ὄρω δέορ ἀμπλακῶρ, τιμῶν πρὸς ἀνθρώ=
 πωρ ἐφεύρω. Considerare enim se, quàm eximia
 & planè diuina persona sustinenda sit Episcopo,
 quem omnis expertem esse maculæ atq; labis oportet.
 Itaq; scribit Olympio (cum septem iam mensi=
 bus illud munus gereret) sibi nondum esse explora=
 tum, an hoc uitæ genus conueniat institutioni atque
 rationibus suis, quod si aliter se habere compererit,
 primam quanq; occasionem se arrepturum, ut in
 Græciam aufugiat. nam si abdicet se sacerdotio, pa=
 triam quoq; relinquendam esse. Tulit autem con=
 ditiones commemoratas in epistola ad fratrem, qui=

bus onus curationis subire uellet. Primum, ne uxor
sibi eriperetur, à qua neq; separari posset, & cuius
occulta consuetudine nollet uti. Nam tum abstinere
ab uxorum manifesto conuictu Episcopi cogi, & simi-
les leges ferri cum periculosa tum etiam impie, ut
esset illustrior species status Ecclesiastici. Quarum
tandem exaggeratione, & Dei ira, & hominum in-
dignatione prouocata, quo res reciderit, & quid
adhuc miserie impendeat, est manifestum. Secundo
negat se mutaturum esse sententiam, cognitione &
scientia confirmatam, cui tamen multa in Ecclesia
dogmata refragari constat. Nunquam ego, inquit,
procreationem animæ esse posteriorem statum co-
agmentatione corporis. Mundum & huius par-
tes interituras esse, non confitebor. Sermonibus ad
populum prædicatam resurrectionem, arbitror rem
esse arcanam, & multum abest, ut cum multitudinis
opinionem, de hac consentiam. Atq; putat posse im-
poni uulgo, in ijs quorum intelligentia superet ca-
ptum illius. Sed hæc de epistola ipsius cognosci po-
terunt, quam & Nicephorus inseruit historiae suæ.
Theophilus quidem, qui Timotheo successerat, Epi-
scopus Alexandrinus, nihil moratus tales quasi pac-
tiones, Episcopum Ptolemaidis Cyrenaicæ Synesium
fecit. Recte ne an secus, nihil attinet hoc loco ex-
quirere. Omnibus autem sæculis, sicut hominibus,
sua quædam sunt quasi cognata & peculiaria uitia,
quæ & Ecclesiam corripere solere compertum est.
Caput autem omnium est uel superstitio, qua arctis-
sime

sine animi hominum deuinciuntur, uel profanitas,
quæ dissolutionem deformem commouet. Ad hæc
opinionū errores & administrationis peruersitatem
cuiuscunq; formæ referre licet. De quibus, qui uo=
let, cogitare animo suo, & hanc notationem copia
exemplorum augere poterit. Synesius quidem,
cum persuasum haberet, se diuinitus ad Ecclesiastici
muneris functionem uocari, posthabuit huic prioris
uitæ studia, quibus admodum fuerat delectatus, litera
rum atq; artium bonarū, equorum ac canum, & gra
tissimi ocij liberalis fructum, & se quasi fluctibus cu=
rarum laborūmq; maximorum & multiplicium tra
didit, Totūmq; permisit arbitrio cum aliorum, à
quibus ad hoc munus obeundum accersebatur, tum
Theophili Alexandrini imprimis, quem & studiosis=
sime obseruauit, & coluit religiose, notus ipsi ab an=
tiquo. nam illius sacram manum sibi uxorem tradi=
disse scribit. Itaq; de rebus omnibus ad cognitionem
eius referendum putauit, & sine huius autoritate ni=
hil agendum esse. Id quod de epistolis editis appa=
ret. quibus alicubi præscriptum Theotimi nomen fal
so in editione Gallica legitur, & Theophili reponen
dum est, probante hoc & argumento & editione
Aldina. De Theophilo autem isto, (qui & cum
Iohanne cognomento Chrysostomo, simultates exer=
cuit, quas & Cyrillus retinuit, & postea somnio mo=
nitus fertur deposuisse) plura hoc loco scribere non
est uisum. Hoc dissimulandum non duxi. Tempo=
ribus illis Ecclesiasticam rem, potentia quidem atq;
B 5 opibus

opibus crescere cepisse, diligentia uerò atq; studio doctrinæ cœlestis, & cognitione ac custodia Euan- gelij, defici. Similiter & uitæ morúmq; & philoso- phie specie illustrari, cum ueritas prolata de sinu æterni Dei Patris interprete una cum illo æterno Filio, interim obscuraretur, & sancti Spiritus magi- sterio minus indies loci relinqueretur. Controuer- siæ tamen de natura Dei & distinctione proprietatum, tum explicatæ, & errores audaciæ hac in par- te refutatæ fuerunt. In qua & Synesium se fidelem ministrũ Ecclesiæ præbuisse, auersatio Macedoniani dogmatis, & fortem fuisse in condemnandis scelera- tis atq; improbis, Andronici execratio, declarat. In cæteris Platonice philosophiæ genus huic arrisit, corruptum illud quidem implicatione Aegyptiacæ superstitionis uel dementiæ potius. Id quod & liber, quem de somnijs scripsit, & duo de prouidentia in- dicant, quos gratificans Tauro cuiquam composuit. Etsi autem doctrinæ eruditio, & studium philoso- phie pulcerrima res est, & Ecclesiam magis ornat quàm quicquam omnium, quorum accessione, illius quasi species quædam externa redditur luculentior, neq; ab humana industria aliquid, quod ad hanc au- gendam efficacius sit, proficisci potest, tamen quo res præclarior est, eo deterior fit usu præpostero & in confusione sacrorum, ut dicitur, ac profano- rum. Barbaria quidem pessundat omnia, & tan- quam præda apri, ita uastat Ecclesiam, cum alia im- manitate sua, tum superstitionum fœditate. Sed
doctrina

doctrina & scientia artium literarumq; & ingenij
cultura, à religionis ueritate discedens, alia uia ab-
errat, cum ad humanam intelligentiam illam reuo-
cando, tum quadam etiam profanitate contaminan-
do. Cum autem tractatio studiorum liberalium &
philosophiæ, in duo quædam genera quasi conflu-
xerit, Platonicum & Aristotelicum, ueteres magis
amplexi Platonica, & cum sacra doctrina propemo-
dum congruere sunt suspicati. Recentiores autem
Aristotelica arripuerunt, & illis sanè impuris, quod
de Sarracenicis ueluti paludibus haurirentur, se in-
iurgitarunt. Vt quæsitum sit, plus ne detrimenti at-
tulerit doctrinæ ueritatis cœlestis, inculcatio Plato-
nici splendoris, uel ut uocat Theologus, εὐγλωττί-
α, an subtilitatis Aristotelicæ, uel secundum eun-
dem Theologum, κακοτεχνία. Sed de his in
præsentia uerbosius differendum non est. Redeo
igitur ad narrationem de Synesio, cuius uitæ cursum
quendam studuimus indicare. Sed ut neque tempus
quo ille natus fuit, neq; de paterna origine quicquam
certi habuimus quod referremus, Sic expositio quo-
que hæret in fine. Neq; enim quando mortem obie-
rit, neq; quem exitum habuerit uita illius, comper-
tum habemus. Hæc igitur opera diligentie nostræ
ab alijs, qui plura cognoscere potuerint, augebitur
& noster labor, boni consuletur. De conuersione
autem ante est dictum, ut nunc deinceps nihil
restet, nisi Synesiana ut exponantur.

SYNESII

SYNESII AD
ARCADIUM IMP
PERATOREM DE
REGNO.



TRVM VERO NI= si adueniat quispiam ex ur= be magna & opulenta, affe= ratq; splendida & comæ orationis opera, qualium parens est & effectrix Rhe torice atq; Poëtice, popula rium quidem illorum tan= quam foetuum, artes ipsæ populares.) Eum, par fu= erit oculos in terram demittere, qui forte huc se con= tulerit? Ut cui non liceat in Regia uel ructare, quod non quasi mole patriæ suæ tumeat, neq; proferre pos= sit acroamata uenusta & usitata, quibus tanquam multitudo, ipse quoq; Rex & consilium illius demul ceatur. An admittetis aduenam aliquando philoso phiam quoq;, & hanc aliquis agnoscet hic post tem pus longum conspectam, & erga hospitam officio= sus erit, deq; illa bene loquetur apud eos, quos æquū est ac decet? Hoc illa nimirum petit non sua causa sed

Sed uestra, ne spreta nihil utilitatis afferat. Atq; huius non erunt disputationes hilares, quales esse istae solent, quibus iucunde afficiuntur adolescentuli, quippe neq; imitatione solutae, neq; uerbis fucatae, ad ostentationem formae alienae. Sed alterius cuiusdam modi (si qui assequi illum poterunt) seueri, & in quo diuina quaedam uis appareat, uiriles & graues, respuentesq; assentationem illiberalem, à potentibus aliquid comparandi gratia. Atq; illae ita sunt praefractae & insigniter audaces & absurdae (in Regia quidem) ut sibi satis futurum esse negent, si quis concedat ne omnia modis omnibus in Rege & regijs negocijs collaudent, Sed asseuerant, sicubi res ferat, molestas sese fore, & minantur mordicus cor ipsum arrepturas se esse, atque adeo intus ac medium, non summum tantum & strictim, si iste fortè dolor alicui salutaris afferatur. Oratio profecto libera quantuis faciendae est Regi, ut audire illam liceat. Laudatio uerò quae quacunq; occasione componitur, cum uoluptate ipsa noceat, similis uidetur uenenis, quae ad interitum aliquibus mellita exhibentur. An nescis culinarum facultatem opiparè & lautè miscendo uaria & alienos appetitus ciendo, labefactare corpora? cum gymnastice & Medicina ambae salutaris, in praesentia aliquid habeant molestiae. Ego sane te esse in numero eorum uolo qui conseruentur, quamuis aegrè seras conseruationem. Nam ut sal carnes constipando non patitur dissipari, Ita Regis adolescentis animum, quem principatus potentia

huc

huc illuc impellit, coërcet oratio ueritatis. Atq; hac
de caussa æquo animo admittere possitis nouum &
ignotum genus disputationum istarum. Modo ne a=
pud uos tanquam rusticae condemnentur, & silere
cogantur priusquam uel modicum processerint:
Quod non sint procuratrices persuasionis, gratæ
adolescentibus & lusus horum sociæ: Sed custodes
iuuentutis, quæ præcepta dare soleant pudoris & so=
brietatis moderationisq; quarunque congressus sint
asperari. Quod si id robur uestrum fuerit, ut consue=
tudinem & usum talem ferre possitis, neq; penitus au=
res laudationibus quibus hæ patent, deprauatæ sint,
Intus hic assum ipse ego. Me tibi Cyrenæ legant,
qui coronam auream imponam capiti tuo, & philo=
sophicam animo. Cyrenæ, inquam, urbs Græca, cu=
ius nomen antiquum & uenerabile est, multisq; mi=
libus carminum à ueteribus sapientibus celebratum.
Nunc paupertate illa & humilitate abiecta, ruina in=
gens, Regiam opem requirens, ad actionem aliquam
prisca prædicatione dignam. Atq; hanc inopiam,
ubi uoluntas tulerit, tu mihi sanabis. Estq; penes
tuum arbitrium situm, ut à magna & felice patria
iam alteram tibi coronam asseram. Sed oratio ne
nunc quidem urbem desiderat, quominus libero ore
uel Regis animum confirmare ausit. Nam orationis
nobilitas ueritate continetur. Et propter locum nul=
la unquam oratio habita est aut deterior aut præcla=
rior. Eat igitur comitante Deo & in manus su=
matur pulcerrima oratio, orationum, uel ut uerius
dicam,

dicam, res rerum omnium. Qui enim curam suscepit Regis unius quidem hominis, ut hic sit optimus atq; praestantissimus, Is compendiarium imprimis uiam ingreditur, ad omnium tam familiarum correctionem, quam urbium atq; gentium paruorum & magnarum, uicinarum & remotarum. Ad quarum fortunam necessario recidit affectio animi Regij, qualiscunq; illa sit, uniuersarum. Placet ne igitur ita rem ordiri, ut audientia praestetur orationi. Sapientis enim certe fuerit non turbare intempestiua agitatione uenationem. Dicamus igitur & quae agere Regem equum sit ac deceat, & quid non deceat. Contra sese oppositis turpibus ac honestis. At tu ad utranq; seriem assistens, ut quicq; cognoueris ad officium tuum pertinere, illud tanquam à philosophia addictum amplectere, caetera execrare & repudia. Atq; ita statue animo tuo, illa semper te exequi, haec non amplius persequi oportere. Quin etiam quo tempore haec habetur oratio, eo ipso, siquid non deceat te, cuius & nos & tu ipse tibi conscius es, fac appareat indignari & irasci ipsi tibi, & erubescere te, quia manifestum fiat esse in te, quod te est indignum. Hic profecto color pollicetur poenitentiae uirtutem. Atq; haec uerecundia est, ut & Hesiodo uidetur, diuina. Cuius uero est in delictis robusta sententia, & quem pudet confiteri ignorantiam, ei poenitentia non est fructuosa, neq; oratione huic medicante sed castigante, ut sapiens aliquis dixerit, est opus. Adeo sane aspera statim ab exordio & difficilis est congressio

gressio Philosophiæ. Sentio enim iam uestrum non-
nullos perturbari, & libertatem hanc grauius &
iniquo animo ferre. At enim me esse hoc effecturum
promiseram, & erat eorum quibus prædictum istud
est, munire se & sustinere impressiones. Etsi ista ti-
bi quidem certe auditu iucunda sunt, idq; omnium de
te celebratione prædicatur. Ego sane tibi in hoc
consentio, Neminem unum alterum tanta magnitu-
dine principatus potiri, teq; diuitiarum habere con-
gestos acervos superantes ueterem illum Darium. &
equitatum multiplicium millium uincentem copiam,
nec non eos quibus utaris tam sagittarijs quam lori-
catis, ut contra quos, si ductorem sortiantur, infir-
mum sit, quicquid obsistere ausit. Præterea uene-
rantur te ciuitates quas numero non est comprehen-
dere, quarum plerisq; neq; contingit aspectus tuus,
ac ne spes quidem atq; opinio est fore ut uideant,
quod spectaculum istud etiam uota ipsa assequi ne-
queant. Hæc & à nobis memorari poterunt tibi,
uerius quàm ab altero quolibet. Quid igitur est di-
screpans inter nos & illos? Illi quidem hinc laudem
nectunt, & te felicem uocant. Ego uerò hinc mini-
mè laudationem duxero, ac rectissimè beatum hoc
te nomine prædicauero. Non est autem res eadem,
sed diuersa utraque, beatum prædicare aliquem &
laudare. Nam prædicatur beatus, qui externis bo-
nis præditus est, laudatur autem qui internis, super
quibus felicitatis sedes fundatur. Atq; illud est for-
tunæ inexploratum munus, Hoc autem animi, bo-
num pecu-

num peculiare, Eamq; ob rem hoc in se est firmum
atq; stabile, fortunæ autem benignitas errat, atque
adeo in contrarium usq; sæpe commutatur. Estq; ad
custodiam huius opus cum Deo ipso, tum mente, tum
etiam arte. opus est tempore, opus rebus ubiq; mul-
tis, atq; his uarijs, Quorum neq; experimentum ex-
tat, & ad experiendum nihil est expeditum. Non
enim quemadmodum obtingit hominibus nomen hoc
ut prædicentur beati, sic absq; negotio etiam conser-
uatur. Cernis enim profectò ad quæ uitæ genera
Tragicæ scenæ instruantur. Vbi non priuati & pau-
peres infortunati producantur, sed ubi ualidi, po-
tentes, Tyranni. Non enim capit domus exigua ca-
lamitatem magnam, neq; paupertas molem aduersa-
tionum. At cuius illustris est fortuna, eum & peri-
culis, & in altera fortunæ casuumq; parte conspicu-
um cernimus. Sæpe tamen uirtus fortunæ successum
commouet & caussa est prosperitatis, & antecedit
laudatio prædicationem beati inter homines. Per-
inde ac si pudeat fortunam nõ impertiri debitum te-
stimonium conspicuis uirtutibus. Ad quod si exem-
plorum fide opus est, non petamus hæc foris, Sed re-
cordare patris tui, ac uidebis, Imperij principatum
huic tributum esse, mercedem uirtutis. In casu au-
tem & fortuna non inest caussa uirtutis. Cum ali-
qui iam operibus uirtutis alliciendo fortunam quoq;
adiunxerint. In horum numero utinam tu Impera-
tor, reperiaris. Ne hæc sit inanis uox philosophiæ.
Sit tibi gubernatio imperij eo magnum & ueneran-
dum,

C

dum,

dum, quod exercuerit & produxerit uirtutem re-
quirentem materiam propriae magnitudini suffici-
entem, quanque non caperet alterius uitae quasi ar-
gumentum Imperio exilius. Quapropter opera dan-
da, ut regia sit animi exercitatio, & patrocinium for-
tunae suscipiendum est, ne postuletur haec temeritatis,
cum non ab eadem origine processerit tua uita &
uita patris tui. Nam huic militia conciliauit Impe-
rium, Te autem Imperium ad militiam adducit, &
uirtus tua fortunae debetur. Ille bona laboribus com-
parauit, Tu uero absq; labore haereditatem illorum
adiisti. Quocirca laboribus ad custodiam horum
opus. idq; est, quod iam dudum difficultatem habere
aio, quodq; multis milibus oculorum eget. Ne, id
quod solet facere, fortuna in itinere cursum reflectat,
quemadmodum fuitiles in uia comites: Nam cum his
sapientes uagam & dubiam fortunam conferunt.
Vides patri tuo, quamuis ob res bene gestas perspi-
cuae Imperij titulum adeptus sit, tamen non reliquisse
inuidiam expers certaminis senium, eandemq; ob
causam neq; Deum illud quasi corona & premio
gloriae carere uoluisse. Cūq; aduersus duos Ty-
rannos fuisset profectus, & ambos profligasset, con-
stituto secundo trophæo, uitam suam finijt, naturae
ille quidem non homini ulli cedens. Contra quam
neq; arma ualent, neq; uersutum est consilium. Atq;
huius mortis monumentum ipsa est uirtus, uobis Im-
perio relicto integro & tranquillo. Quod opto ut
uirtus uobis, & Deus per uirtutem conseruet. Vbiq;
enim

enim Deo opus est, maximè ijs qui non ipsi quasi
Marte neq; opera sua peperere fortunam sibi, sed hæ
redes illius sunt, quemadmodum uos estis. Quæ cui
quàm copiosissima tribuente Deo obuenit, & quem
Deus summum Imperatorem penitus adhuc puerum
uoluit appellari, eum par est quoscunq; labores sus=
cipere, & omnem fugere desidiam, Somno quidem
parum, curis autem plurimum uacantem, Si Impe=
ratoris sibi nomen conuenire uelit. Præclare enim
uetus uerbum, Non facere Imperatorem ait multi=
tudinem eorum qui pareant, non magis quàm Ty=
rannum. Nam ne Pastorem quidem reddit pecudum
copia, non magis quàm cocum, qui ad mactationem
illas cogit, ut & ipse uescatur, & alijs epulas præbe=
at. Aequalibus finibus aio distare inter se Regem &
Tyrannum, etsi fortunæ munera sunt in ambobus si=
milia. Habet uterq; subiectam multitudinem pote=
stati suæ. Verum qui ad speciem honestatis in popu=
lo sese applicuerit, & mala perpeti uoluerit, ut po=
pulus malis careat, & periculis pro illo se offerre, ut
tutam uitam alij degant, & uigilare, & ne inter epu=
las quidem curas deponere, ut sui die noctuq; exper=
tes sint aduersorum, Is inter pecudes quidem Pastor
fuerit, Inter homines uerò Rex. Qui autem fructum
esse censet uoluptatis principatum, & in potestate
degit suauiter, ita animatus ut impleat ipse cupidita=
tes omnes suas lacrimis populi, id pro lucro ducens,
ut à multis iucunda animo suo procurentur, & ut
semel dicam, qui non gregem opimum reddit, sed

ipse

ipse à grege saginam petit, Eum uoco cocum in pe-
 cudibus, Eum pronuncio Tyrannum, quando paret
 ratione prædita multitudo. Hæc est una Imperij
 norma, Tuq; te ad examen adducito. Et si quadras,
 iam iure utere uenerabili rei uenerabilis appellatio-
 ne. Sin minus quadras, conare corrigere distorta &
 cum norma concinnare. Non enim despero de æta-
 te, quin capax illa sit incrementi qualiscunq;, modo
 hanc aliquis ad æmulationem uirtutis quasi calcari-
 bus admotis incitet. Vehemens enim est impetus
 iuuenta in utranque partem, non aliter quam am-
 nes, qua uia data est copia & eruptio, illac excur-
 runt auidius. Atq; eam ob rem opus est adolescenti
 Imperatori philosophia, uel quæ occupet animum
 ipsius, uel coërceat in hanc aut illam partem fluxio-
 nem. Alia enim uitia alijs uirtutibus uicina sunt,
 Et à singulis lubricus est locus non ad diuersa sed ad
 uicinum. Vicina autem est uiolenta dominatio quam
 Tyrannida nominamus, Regno, ita ut quasi fores u-
 triusq; domicilij propinquæ sint. Non aliter quam
 fortitudini uicina Audacia est, & liberalitati, profu-
 sio. Et Magnanimus, nisi à philosophia intra uirtu-
 tis fines contineatur, siq; proferre caput cœperit,
 ostentator erit & ingenio leui. Nullum igitur me-
 tuas morbum Regni alium nisi Tyrannidem, & hæc
 discerne ijs formis utens, quas ratio proponit. Præ-
 cipua autem hac, Quod in Rege Mos legibus serui-
at, in Tyranno leges Mori. Potestas autem com-
 munis quædam est quasi materia, quamuis genera-
 uite

in p. 10
 anni
 rapido h
 mi h

monarchia
 regnum
 fit tyrannus

plaut. in Truc:

uite inter se pugnent. Atq; is fortunatae felicisq; ui-
tae fastigium calcat, In cuius natura omnia uolunta-
tem sequuntur: Sequiturq; uoluntas prudentiam,
Et cum domina sit aliorum quae extra sunt, concedit
tamen principatum potiori illi habitationis sociae, &
ab illa expectat quasi tesseram actionum. Non enim
sufficit ad felicitatem potentia, neq; in robore beati-
tudinem Deus collocauit, Sed adesse uel potius praee-
esse oportet prudentiam, quae quam rectissime po-
tentia utatur. Atq; hunc perfectissimum uirum per-
fectissimamq; uitam hanc renuncio, Vbi integritas
sit quasi pedis utriusq;, nec altera utra parte claudi-
cetur. & ubi is regat qui scit regere. Omnino in-
uicta res est, Coniunctio uirium & sapientiae. Dis-
iunctum autem unum ab altero, Robur demens, &
prudentia imbecillis, facile superatur. Atq; ego hoc
in Aegyptiorum sapientia admiror, quod de Mer-
curio animaduerti. Huius numinis duplicem speci-
em effingunt Aegyptij, Iuuenem statuentes propter
senem. Quod hoc sibi uult: Eum qui alijs cum lau-
de praefuturus sit, esse & mente & robore praeditum
oportere. Eamq; ob causam ab iisdem & Sphin-
gis effigies in uestibulis lucorum consecratur, nota
illa quaedam diuina duarum uirtutum copulae, si-
gnificante robore bestiam, prudentia hominem.
Nam robur expers ductus prudentiae, attonitum fer-
tur, res omnes miscens ac turbans. Et Mens destituta
manuum ministerio, ad actiones est inutilis. Regius
sanè ornatus, uirtutum concursus uniuersarum, Sed

prudentia, magis est Regia, quam altera ulla. Hanc
in consilium adhibe. Sequetur enim cætera uirtu=
tum classis sorori grandiori. Ac mox tecum habe=
bis contubernales & commilitones uniuersas. Nar=
rabo id quod auditum initio statim absurdum uide=
bitur, omnino autem cum ueritate coniunctum.
Quando ego imbecillitatem considero in contenti=
one potentiae, & quanto in quibusdam minus, in qui=
busdam plus cupiditates appetant & adipiscantur, Si
simpliciter remota prudentia, fiat iudicium, fortuna=
tior contigerit minimè præditis Mente & Pruden=
tia, paupertas, impotentiâq; & uita priuata, quam
maximus principatus. Nam minus ita deliquerint,
cum animi prauitas non reperiat progressionem ad
efficiendum. Externa enim bona, quæ Organica
mei Magistri Aristoteles & Plato uocare consueue=
runt, non minus inseruire sciunt uitij quam uirtuti=
bus. Ideoq; hi uiri, & alij qui ab his quasi riui phi=
losophiæ manarunt, neq; melioris appellationis no=
mine dignantur, neq; deteriore condemnant. Sed uo=
cant Organica, quasi uitæ instrumenta, modo Bona,
modo Mala, habitu utentium illa colorantes. Quem
admodum autem defici his organis prauos, ne sit ef=
ficax improbitas, sic suppeditare illa optandum ei
qui rectè usurus sit, unde omnes tam publicè quam
priuatim fructum percipiant, ne inutilis & ociosa
uirtutis indoles in ignoratione flarescat, sed ut po=
tius beneficijs in alios potentiam suam consumat.
Hoc pacto fac utaris propositis istis bonis. & hoc
enim

enim pacto bonis tantummodo poteris uti. fruuntur
domus, ciuitates, populi, gentes, terræ, prouidentia
Regia & cura consilij. Quam esse imaginem uo=
luit Deus prouidentiae suae, ipse archetypum se ipsum
constituens in ijs, quæ sub mentem & intelligentiam
subiecta sunt. Et uult terrena ordinari imitatione
mundi supremi. Illius igitur magni Regis amicus
est, is qui eodem hic nomine appellatur, si non menti=
tur nomen. Non mentitur autem hoc, si & alterum
Dei nomen accedat. Quod antequam eloquar, non
intempestiuum fuerit differere aliquid ex philoso=
phia petendum, quo præmittatur perspicuitatis dispo=
sitio. Nullum usquam se ostendit nomen, quod natu=
ram Dei attingat. Sed cum assequi euidenciam ip=
sius homines nequeant, ea apprehendentes quæ ab il=
lo sunt, ita ipsum uolunt attrectare. Quod si illum
fabricatorem patrem, si quiduis omnium dixeris, si
principium, si causam: Sunt omnia hæc respectus
quidam Dei ad ea quæ ab ipso sunt. Ita & Rege di=
cto Deo, conaris præhendere naturam illius de Re=
gie potestati subiectis, non in conspectum eius acce=
dens. Nunc igitur pergam eloqui, quod de nomini=
bus reliquum pollicitus uobis, ad hoc tempus suspen=
di. Quidnam ergo est quod consors & coniunctum
cum Rege in terris, confirmare dixi illum & decla=
rare, esse in eo rem, non falsum nomen? Bonum sci=
licet Deum, celebrant omnes ubique tam sapientes
quàm insipientes populi. atq; hæcenus concedunt
& consentiunt inter se uniuersi, qui dissidentes de

alijs, opiniones de numine diuino, & sinceram ac in-
distractam naturam illius, placitis & sententijs ua-
rijs diuellunt. Veruntamen hoc ipsum Bonum de
quo nulla est controuersia, nondum indicat stabilem
Dei naturam, & quid sit Deus. Sed est corrogatum
à posterioribus. Non enim absolutum peruenit ad
aures Bonum ipsum, Sed ijs bonum ad quos actio
pertinet, & fructus. Hoc enim sensus istius nominis
interpretari uult, Esse Deum autorem bonorum. Et
sacræ in sanctis operationibus preces, Pater noster
exclamantes, ad omnium summum Deum, non extol-
lunt potentiam illius, sed uenerantur curam. Quæ-
propter Deus largitor quidem est eorum quæ lar-
giri Deum conuenit, uitæ, naturæ, mentis, & si quid
ex eorum numero quæ posteriora sunt, non indignū
est ut adueniat à primo. Tuum autem officium fue-
rit, non deserere locum in quem collocatus es, neq;
afficere ignominia nominum similitudinem, sed ur-
gere imitationem. ut bonis quidem cunctis inundes
ciuitates, & felicitatem effundas quam possis singu-
lis Imperio tuo subiectis. Ita uerè te Regem Ma-
gnum appellare poterimus, non consuetudini istum
honorem tribuentes, non procurantes commodum,
non uitantes indignationem, Sed iudicio animi ipso
annuentes, & utentes lingua sine fraude sententiam
animi interpretante. Age iam oratione depingam
Regem, quasi simulacrum statuens. Tuum autem
fuerit perficere ut moueri hoc simulacrum et uiuere
uideatur. Atq; ego ad operis elaborationem assu-
mam,

mam, si opus erit, de ijs aliquid, quæ ueteribus & be-
atis uiris in mentem uenerunt. Tu autem ne minus
alijs sed magis potius cara illa habeas, ut quæ extra
omnem contentionem Regem deceant, quod eadem
de his sententia sit ueterum & recentum. Ac pri-
mum sedes atq; basis subiecta esto immobilis, pietas
religionis, super qua statuatur firmum simulacrum
illud, nequa unquam tempestas hoc adherens basi
euertat. etsi simul hæc basis etiam assurget & mul-
tis in partibus, potissimum in uertice, conspicietur.
Atq; hinc progrediens aio oportere, ducente Deo,
Regem esse ipsum primum suipsius Regem, & im-
perium regale in animo suo constituere. Scire enim
debes, non esse Hominem, simplicem ac uniusmodi,
Nam ad coagmentationem unius animantis quasi in-
quilinam, turbam congregauit Deus, confusam un-
diq; & cuiuscunq; modi uoces emittentem. Sumusq;
ut opinor, magis absurda & plurium capitum be-
stia, quàm hydra. Non enim idem est quo intelligen-
mus, & appetimus, & dolemus, neq; idem quo ira-
scimur, neq; indidem existit uoluptas & metus. Sed
uides esse in his & uirile quiddam & effeminatum,
confidensq; & formidulosum. insunt etiam penitus
contraria. Inest & media quædam fusa per omnia
natura, quam Mentem uocamus. atq; hanc uolo re-
gnare in animo Regis, oppressa uulgari ac populari
gubernatione perturbationum. Verus enim & do-
mesticus hic Rex fuerit, in imperio principatus ip-
sam naturam Ducem sequens. Nam qui rationis
C 5 expertes

expertes animi partes cicures & mansuetas reddide-
rit, & parere rationi coëgerit, multitudine sic com-
posita, ut unius consilij ductum sequatur: Hic est
ille diuinus, tam priuatus quàm Rex. ac Rex quidem
potius, quippe qui uirtutem cum totis gentibus com-
municet, ut unius bonis multi mortales perfruantur.
In hoc enim necesse est, omnia intus esse sine motu,
atq; adeo in uultu quoq; diuinam apparere tranquil-
litatem. Estq; spectaculum neutiquam formidand-
um, sed supra modum uenerandum, Is qui in pудо-
ris non fluctuante affectione, amicis, id est, bonis ad-
miracionem, inimicis uerò terrorem incutit. Huius
in animum non penetrat poenitentia. Quicquid e-
nim agit, id agit de sententia atq; decreto omnium
animi partium, quod cunctorum ad unius Imperium
spectet instructio, neq; quædam partes esse, & simul
ad unum, nimirum totum ipsum concurrere recu-
sent. Quisquis autem dirimit, partium illarum ap-
pulsus, concessio hoc ut ad effectiorem multæ sint,
& uicissim uelint suadendo commouere animantem,
Eum cernes modo efferri animo modo abijci. Modo
perturbari appetitione, modo fuga. Itcmq; mole-
stijs & uoluptatibus, & absurdis cupiditatibus. neq;
talis unquam ipse secum consentit.

Neq; me fugit quæ perpetratum eam mala,
Sed consilia mea uincit iracundia.

Dictum est in cuiusdam consideratione, quanta esset
dissimilitudo & dissensio equalium facultatum. Hoc
igitur primum & regium maxime est, esse aliquem
Regem

Regem sui ipsius, præficiendo Mentem conforti be-
stia. neq; postulare se superiorem esse multipliciter
multis milibus mortalium, si seruiat ipse dominis tur-
pissimis uoluptati & molestiæ, & quæ aliæ cogna-
tæ beluæ in isto animante degunt. Hinc uerò à se
ipso prodiens Rex, congregietur primum ciuibus
& amicis suis. In quorum cœtu de summa rerum
consultabit. Hos appellabit amicos. non simulatio-
ne utens nominis, neq; ut solent ij, qui castigant aspe-
ritatem & aduersationem dominatus, re ipsa blan-
diore & humaniore, quàm ueritas patitur, nomine.
Quidnam enim in Regijs fortunis cum amico com-
parandum? Quis iucundior secundæ fortunæ so-
cius? cui tutius aduersæ fortunæ momentum perse-
rendum committi possit? Quis laudator incorru-
ptior? Cuius castigationis quasi ictus minus mole-
sti? Iam quod argumentum fuerit euidentius popu-
lo Regis cordati, quàm si constet hunc euehere &
amplificare familiares. Ita enim & amorem sibi ali-
enorum conciliabit, & fuerint uota bonorum, con-
tingere sibi Regiam amicitiam. Quæ sunt in Ty-
rannis contraria. A quibus bellum prouerbum na-
tum est, procul à Ioue & fulmine. Quod propter
eos quorum insidiosa est consuetudo, securius esse
ait, degere uitam ociosam tuto, quàm splendorem
sequi periculosum. Cum enim uix alicui contigit, ut
beatus prædicaretur ob Tyranni amicitiam, mox
miseratio præsto est, ob odium. Regi quidem no-
tum est, Deum se ipso contentum nulla laborare pe-
nuria,

nuria, Et esse Deum naturam principem longè su-
pra eos qui potestati suæ subiecti sint, positam. Ho-
minis autem cuius in homines est imperium numero
multos, sibi similes, non est sufficiens natura, ad om-
nium negociorum cogitationem. Quo igitur defi-
citur, id medicando, & suam uim multiplicando, cū
amicis una quædam efficitur natura. Hoc pacto &
omnium Rex oculis cernet, omniumq; auribus audi-
et, & animis uniuersorum in unum conductis, con-
sultabit. Hoc tamen cauendum totamente, atq; uti-
nam omnibus aulica arma hac in parte expedire con-
cedatur, ne fallat obrepens assentatio, induta perso-
nam Amicitie. Ab hac enim sola quamuis uigilent
satellites, Regnum latrocinio uastatur. Irrumpit
enim, nisi diligentissime aditu prohibeatur, in intima
penetralia, & adoritur id quod in Rege est præci-
puum atq; maximum, ipsum animum. Nam caritas
sodalium, non postrema est inter Regias uirtutes.
Quæ & Cyrum illum Magnum, & Agesilaum cele-
berrimos reddidit apud Græcos & barbaros. Atq;
Rex ipse statuet quid agendum sit, sententiæ autem
autoritas accedet, apud amicos. Res uerò ut sequan-
tur, opus iam est manibus multis. Nunc autem ora-
tio extra regiam Regem producit, & una cum ami-
cis tradit militibus, alteris sane his amicis. & in cam-
pum deducit, ad delectum et inspectionem uirorum,
armorum, equorum. Vbi cum equitibus equitem se
præbebit, cum peditatu decurret, In legione erit le-
gionarius, cum cetratis, cetratus, in leui armatura sa-
gittarius

gittarius, ut communicatione operum, adducantur
singuli ad sodalitatem uiuam, neu in hac parte ille si=
mulator sit, appellando commilitones, sed ut concio=
nantem agnoscant, & testentur, ex ipsis factis pro=
nunciari nomen. Fortasse aegré fers, quod labores
tibi imponimus. At tu mihi crede, Regium corpus
minimé attingit labor. Cuius enim non latent labo=
res, eum ne utiquam uincunt labores. Imperator au=
tem dum corpus exercet, dum foris excubat, dum ar=
mis iuuentam ornat, Quicquid ubiq; est populo=
rum, id tum ille pro theatro habet. Nam & præ=
sentium oculi in hunc conuertuntur, neq; alio aspi=
cere quisquam sustinet, dum ab Imperatore coram
aliquid & in conspectu ipsorum geritur, & absen=
tium aures personant, quocunq; facto Imperatoris,
statim enim illud cantu celebratur. Assuescere au=
tem, ne raro spectandum sese militibus Imperator of=
ferat, istam quoq; uim habet, ut beneuolentiam eam=
que ualidam fabricetur in animis militum. Poterit
ne autem esse regnum munitius alterum, illo quod
muros habet Amoris. Quis autem priuatus & hu=
milis securior est & minus timet insidias, quam is
Rex, non quem metuunt, sed cui metuunt ditioni il=
lius subiecti. Sane gens ista militaris simplex quæ=
dam est & ingenua, & quæ consuetudine concilia=
tur. Ac Plato bellatorum genus custodum nomine
appellat, & canibus esse potissimum simile perhibet,
quæ bestia cognitione & ignoratione dijudicat ami=
cum & hostem. Quid autem turpius fuerit illo Im=
peratore,

peratore, cuius propugnantibus pictoris opera con-
tingit noticia. Neq; hoc commodum modo adipi-
scetur Imperator, crebro inter milites uersando, ut
quasi unum corpus circum se habeat ueluti concre-
tum exercitum, Sed pleraq; etiam eorum quæ illis
temporibus geruntur, partim excercitationem acti-
onum bellicarum, partim initorum quasdam pro-
gressiones & præparationes continent, excitantes
ad maiora & seria. Non enim parua res est, in con-
flictu armorum, nominatim appellare Ductorem, &
huius uicarium præfectum turmæ & centurionem,
& si usu ueniat, signiferum. nec non aliquos ex ue-
teranis ita uocare & cohortari ut agnosci illos con-
stet, ex ijs inquam, qui potiore aliquo loco curant &
ducunt ordines, tam in equestribus quàm pedestribus
copijs. Nam Homerus quidem adducto quodam ex
dijs suis ad prælium Græcorum, percussione sceptri,
dicit illum compleuisse Iuuentutis animoso robore
corda, ut animus uehementius impelleretur ad pu-
gnam & prælia belli, cum neq; pedes neq; manus
quiescere ac contineri possent. Nam illud uerbum
quo Homerus est usus dicens, gestire pedes inferne
manusq; superne, significat sua sponte membra com-
mota & celeritate quadam incitata fuisse in negocijs
pugnæ. Idem, ut mihi uidetur, fecerit Imperator
nomine suo quenq; appellando, tam ad gloriæ cupi-
ditatem eum cui strepitus adhuc tubarum ignotus
est, suscitando, quàm dimicantem peritum exacu-
endo. Nemo enim si testem habeat laborum suorum
Impera-

Imperatorem, illos defugere solet. Atq; adeo hic
poëta (ut uidetur) ingentem utilitatem istam ad Im-
peratorem tam pacis quam belli studiosum, perue-
nire censet, qui quasi primus animaduertit, quod
plurimum momenti afferat ad confirmandum mili-
tum animos, ne gregarios quidem ab Imperatore ig-
norari, Non modo Agamemnonem facit nominatim
uocare milites, sed apud illum hic etiam fratri præ-
cipit, ut ad appellationem addat mentionem nominis
paterni & generis singulorum, & iubet extollere
laudibus omnes, neq; ipsum superbire animo. Ver-
bum autem Homericum, quod interpretati sumus
extollere laudibus, significat honorificè commemo-
rare fortia alicuius facta, quorum Imperator con-
sciens sit, & successus felices. Viden, Homero Impe-
ratorem esse plebeij laudatorem. Quis autem non
prodigus in sanguine suo profundendo, si laudato-
rem habeat Imperatorem, futurus esse uidetur?
Hoc igitur bonum continget tibi de crebra cum mi-
litibus consuetudine, atq; insuper nosces ipsorum mo-
res & uitam, & quo quisq; loco, reposcente, consti-
tuendus sit. Vide enim & hoc. Artifex est belli Im-
perator, sicut sutor calceamentorum. Atq; hic ri-
diculus sit si officinae suæ instrumenta non habeat no-
ta. Et Imperator quo pacto sciet uti instrumentis
belli militibus, quos non nouit? Atq; hoc loco, si com-
mune orationis argumentum, in hanc præsentem
orationis materiam deducam, fortasse non aberrau-
erit ictus quasi à signo proposito,

Quisq;

Quisq; scit an me fauente Deo tua pectora tangam
Præcipiens. Veracis enim præceptio prodest.

Aio itaq; nihil superiore tempore deteriorem
reddidisse rem Romanam, quam illam Imperatorij
corporis scenam atq; curam, quam quasi sacris ope=
rantes, secretam suscipiunt & à nobis remotam, &
id, quod uestra omnia barbaricum in modum expli=
cantur. Non enim consociantur species & ueritas.
Tu uerò noli irasci. nam tuum istud non est, sed eo=
rum qui huius morbi autores sunt, & qui successio=
ne temporis propagati æmulationem mali istius
commouerunt. Ita igitur fit, ut ista reuerentia, &
quia metuitur, ne familiaris uester conspectus cæteris
hominibus similes uos reddat, includat uos quasi à
seipsis obsessos. Cum & paucissima uideatis & pau=
cissima audiatis, de quibus prudentia actionum colli=
gi solet. cūq; tantū fruamini corporis uoluptatibus,
atq; ijs quidem crassissimis, quæ tactu & gestu per=
cipiuntur, degentes uitam similem pulmonum mari=
norum. Dum igitur non uultis esse homines, ne ho=
minis quidem assequimini perfectionem. Itaq; quo=
rum consuetudine utimini inter epulas, & alijs tem=
poribus, quibusq; patet aditus in Regiam securior
quàm prætoribus & centurionibus, eos ipsos belli
numirum ut sint quantopere instituitis? istos cum par=
uis capitib. & curta sententia, quos aberrans natura
notis quibusdam deformauit, non aliter quàm iniusti
mensarij, monetā. et dono datur Imperatori homo ue=
cors, eoq; est hoc preciosius, quo ille uecordior fue=
rit. Hi

rit. Hi & ritus & fletus confusi conatum incoantes,
& gestibus atq; sonis & alijs quibuscunq; possunt
scurrantes, perdunt una uobiscum tempus, & caligi-
nem animi contractam ex abhorrente à natura uita,
altero malo maiore leniunt. Horum mutilæ cogita-
tiones & uerba, auribus uestris inseruntur aptius,
quàm intelligentia Philosophiæ de lingua expedita
& rotunda. Qui autem fructus est istius mirificæ
domi moræ? Quod nimirum populi partem pru-
dentiozem suspectam habetis, & ad hanc grauita-
tem atq; uenerationem prætenditis, uesanos autem
introducitis & coram illis omnia sunt aperta atq;
nuda. Sane æquum erat plane scire, Quod, quo
quicq; apparatu conflatur, eodem & augeatur. At
si percurras animo, ubicunq; terrarum dilatata impe-
ria, siue Parthicum, seu Macedonicum, seu Persicum,
seu Medorum antiquissimorum, seu etiam hoc in
quo nos uiuimus, profecto homines populares & mi-
lites, & plerunq; foris atq; humi excubantes in or-
dinibus, quiq; neq; minus laborare, neq; plus uolupta-
tis percipere studerent, unamquanq; dominationem
amplificarunt. Iis uerò qui per curam & attentio-
nem bona præcipua acquirunt, magni iam & admi-
rabiles, difficile est tenere locum suum, si prudentia
absit. Videtur enim fortuna prospera onus esse
plumbo ponderosius. Prosternit quidem eum cui im-
positum illud est, nisi admodum sit robustus. Animi
autem robur pollicetur natura, exercitatio perficit.
ad quam te Imperator adhortatur philosophia, ca-

D

uens ne

uens ne id accidat, quod uera ratione usu uenire con-
suevit. Nam contrarijs eorum quibus quicq; com-
ponitur, singula corrumpuntur. Neq; ego postulo
ut Imperator populi Romani patrios mores trans-
grediatur. Patrios tamen mores Romanorum eos es-
se duces, non qui heri & nudiustertius in iam depra-
uatae uitae inuaserunt Rempublicam, sed quibus prae-
diti ij fuere, qui Imperium pepererunt. Quaeso enim
te, per Imperij numen, (atq; uide ut consistas, mor-
det enim haec oratio mentem) Quando meliore in
statu fuisse existimas rem Romanam? Vtrum ex
quo purpurati estis & aurati, & gemmas petitas de
montibus & mari externo, partim coronae inclusas,
partim calceis insertas, partim cum amictu concin-
natas, gestatis? Cum quidem aliae suspensae sint aliae
infixae, super quibusdam etiam sedeatis. Euasistis
igitur spectaculum prorsus uarium atq; omnibus co-
loribus illustre, pauonum instar. Homericam uobis
execrationem accersentes, tunicae lapideae. Neq; con-
tenti hac estis tunica. Nam consilium illud honore
& dignitate aequalium, cum magistratum eum geri-
tis, cuius nomine annus notatur, inaccessum uobis est,
sue comitia habentur seu alia de re conuentum est,
nisi etiam palla istiusmodi implicati sitis. Atq; con-
spicui estis hominibus, quibus fas est cernere, ut in se-
nate soli beati, soli onusti. quin etiam ipsum onus
inflatè ostentatis, perinde ac si quis aureis uinculis,
atq; adeo grauissimis pondere catenis religatus,
non sentiat tamen malum, neq; se miserum esse ducat
& in

Et in numero uinctorum, deceptus calamitatis preciosa specie. Cum tamen nihilo magis commoueri possit, quam qui in catastræ iacent ligno uilissimo. Iam ne pauimentum quidem uobis tolerandum uideatur, nec ingressio super naturali solo. Sed congerenda arena aurifera est, quam ex alteris terris plaustra uobis atq; naues onerariæ apportant. Suntq; copiae haud uulgares à quibus iste agger spargitur. Non enim hoc Regnum esse existimatis, nisi coria etiam calceamentorum delicata habeatis. Nunc ne igitur fortuna meliore utimini, ex quo ista Regia quædam initia constituta sunt, et uos occultamini tanquam lacertæ, quæ uix paululum interdum ad calorem prospectant, ne deprehendatur ab hominibus, Esse et uos homines: An tunc potius cum duces exercituum erant, ij qui in medio uersarentur, Nigri de sole, atq; alijs rebus simplices et habitu apparatus proprij, non dithyrambico aut Tragico, cum Laconicis pileis. quos aspicientes inter imagines pueri rident, ac ne senile quidem uulgus fortunatos, et in comparatione uobiscum prorsus potius infelices fuisse ducit. At enim non illi quidem suam terram muniendo ita arcebant barbaros tam Asianos quam Europæos, Sed facinoribus quæ edebant, illis præcepta dabant muniendi suam, cum crebro et Euphraten transirent contra Parthos, et Istrum contra Getas et Massagetas. Nunc hi alia pro istis nomina sibi imponentes, atq; ipsi diuersi à sese, artificiosa fraude ora, mutant, scilicet genus aliud nouum

ac mirificum ut orti solo esse uideantur, uos terrent,
contra ipsi transeuntes huc, & mercedem iam pacis
sibi persolui postulant, nisi tu te uiribus ornes. Sed
prisca, si placet, omittantur, neq; ad hæc præsentia
exigantur, ne uideamur specie admonitionis esse con-
tumeliosi, demonstrando tantum ueritatis Imperato-
ris nomen & famam amisisse, quantum incrementi
fecit species & fastus. Quod si forte, quemadmodum
in loco de uarietate uestra, immorata studiose est ora-
tio, ita aliquam partem sui impendat, antiquitati Im-
peratorum, siue hanc rusticitatem uocamus, seu ma-
uultis tenuitatem: præclare fieret, si uicissim positis
uestibus producerentur uita sumtuosa & uilis. atq;
ita contemplans ambas nudas profecto amplectere-
ris ueram Regiæ pulcritudinis formam, dimissa ap-
parente specie & accersita. Hanc scilicet depinxi-
mus maxima ex parte, opulentia. Illa uerò haud ab
opulentia, sed aliunde est petenda. Non enim opibus
abundat, quippe quæ his operam non impendat.
Mores itaq; potius imaginem illius expriment. Etsi
res ipsa statim conspicitur, una cum uitæ, quæ natu-
ram ducem sequitur, quasi germinibus. Atq; unius
saltem Imperatoris tam morem quàm factum cele-
brare mentione nostra par fuerit. Nam quaecunq;
sit, eiusmodi est ut ad alia omnia aggreganda suffici-
at. Narratur itaq; quendam ex non admodum ue-
teribus, sed ex ijs quos nouisse possunt huius ætatis
senum aui, qui quidem neq; ipsi iuuenes fuere cum li-
beros susceperunt, neq; à iuuenibus filijs auorum no-
men sunt

men sunt consecuti. Narratur igitur ex illis quidam
exercitum duxisse aduersus Arfacidam contumelio
sum in Romanos. Cum autem Armeniam superas
set, priusquam adoriretur regionem hostilem, cibi
eum capiendi cupiditas incessit, iussitq; exercitum
quicquid in commeatu esset quo delectarentur, eo
uti, ut qui e uicinia, si opus foret, uictum petere pos
sent. atque simul Parthicum agrum demonstrauit.
Hæc dum aguntur, aduenisse tradunt legatos hosti
um. Atq; hos arbitratos fuisse aduentum primum
suum delatum iri in congressum eorum qui plurimū
apud Imperatorem ualerent, atq; adeo occursuros
se clientibus & interpretibus horum aliquibus, ut
legatis post multos uix dies responsum esset Impe
rator daturus. Incidisse autem in ipsum forte Im
peratorem epulantem. Nondum enim tantum ab
reliqua expeditione seiunctum erat satellitium, qui
dam exercitus eximius, Iuuenes uniuersi, uniuersi
grandes, flauo & prolixo capillo,
Atq; caput nitidi semper faciēmq; uenustam,
gestantes clipeos argento & hastas auro insignes.
Quos quoties cernimus, signum nobis datur adesse
Imperatorem, quemadmodum, ut uidetur, splendo
re antecedente, solis ortus significatur. Sed tum
omnes ordines suo officio fungentes, satellitium erat
& Imperatoris & Imperij. Illorūmq; Imperato
rum simplex erat habitus, qui non ornatus sed animo
se esse Imperatores declarabant, & à multitudine
bonis differebant interioribus. Externa autem si

militudinem cum gregarijs præ se ferebant. Quo habitu & Carinum à legatis illis conspectum fuisse perhibetur. Tunica erat punicea, ipse super gramine accumbebat, dapes erant, pulmentum futile pisi, Inq; hoc frustra salsamenti carnis suillæ, uetustatis ualde conscij. Imperatorem autem legatos conspectum, neq; exilijse neq; cõmutasse quicquam ferunt. Accersitisq; illis dixisse, ita ut assederat, scire se, quod se conuenire uellent, seq; Carinum esse. Nunciarent adolescenti Regi suo, illo die ni frugi esse uellet, expectandum ipsi, ut aspiceret cuncta nemora cunctosque campos una nocte læuiores factos, quàm esset Carini caput. intèr q; hæc uerba simul exhibuisse caput, detracto pileo, in quo nihilo plus pilorum esset, quàm in galea apposita. Quod si esurirent concedere ipsis, ut una secum manum in ollam iniicerent. Sin hoc ipsis opus non esset, iubere se eo ut momento discederent, & extra Romanum uallum se reciperent, cum iam perfuncti essent legatione. Atq; his relatis ad multitudinem hostium & Ductorem ipsum, quæq; uidissent quæq; audiissent, horrorem & formidinem inuasisse uniuersos accepimus: Dimicandum esse cum talibus, quorum Imperator is esset, qui & Imperator & caluus non uereretur apposita olla conuiuas inuitare. Et territum illum gloriosum Regem, cum tiara & ornatu Persico, aduenisse tum aiunt, paratum facere omnia quæ imperasset ille in uilis lanæ tunica cum pileo. Audis alterum, ut opinor, hoc recentiore (nam inauditum hoc esse ulli

ulli non est uerisimile) Imperatorem, penetrasse ipsum intra hostium regionem, cum explorata illa opus esset, legationis specie atq; similitudine. Nam principem ductoremq; esse ciuitatum ac copiarum, illis temporibus, functio ministerij erat. multiq; illo se imperio abdicabant. & unus ex his in eo peracta etate iuuenili, impatiens laborum, sua sponte priuatus consenuit. Atq; ipsum quoq; Regis nomen ostendere licet tibi, seruum esse, & defecisse in populo Romano una cum exactis Tarquinijs. Ab hoc enim nos honorem hunc uobis habemus, & Reges appellamus. Vos autem siue scientes seu nescientes, consuetudini quidem indulgetis, sed defugere tumorem appellationis uidemini. Neq; igitur ciuitati, neq; priuato, neq; praesidi, neq; Duci barbaro, literas mittentes, huius nominis fucosam speciem usurpatis. Sed facitis uos esse Imperatores, quod est nomen potestatis in exercitu, omnia se facturam esse recipientis & promittentis. Etiam Iphicrates & Pericles Athenis soluebant, Imperatores, cum summa potestate, neq; hoc nomine populus offendebatur, nullius potestati subiectus, ac ipse potius suffragijs suis Imperium illud legitimum decernebat. Atq; erat Athenis etiam Rex nomine quispiam, Eiusq; munus exile, & obnoxium. quasi, ut uidetur, isto nomine populus luderet, quippe cuius libertas summa esset & infinita. Sed ille cum maxima potestate Imperator, neq; solus rerum potiebatur, & erat huius tam nomen quam munus praclarum. Quis neget uero argu-

mentum hoc esse moderati & sani consilij in Repub.
Romana, Quod quamuis perspicue in illa Imperium
penes unum esse ceperit, tamen odio malorum quæ
in Tyrannide sunt, cautè atq; parcè attingitur no=
men Regium. Vnius enim Imperium infamat Ty=
rannis, Regni autem iusticia mirificè commendat.
Quod Plato diuinum inter homines bonum, uocat.
Qui idem id quod particeps huius diuinitatis factum
sit, uult omni uento inflationis carere. Non enim
ut funambulus aut præstigiæ quidam artifex
Deus, sed occulto & tacito ingrediens itinere, res hu=
manas qua fas est, ducit. Paratus ubiq; adesse uni=
cuiq; qui ad communionem aptus & natus sit. Itaq;
iustum illum & diuinum Regem esse uolo, commu=
ne quoddam bonum, & expertem inflationis super=
bie. Quod si Tyranni admirationem commouent,
cum sese occultando, tum terribili aspectu apparen=
do, nemo sit qui illis hoc uitio uertat, quod penuria
ueræ dignitatis, ad simulationem confugiant. In quo
enim nihil sanitatis est, & qui ita esse ipse nouit, qui
fieri possit, ut non fugiat ille lucem, fugiendo con=
temptum? At nemo in hodiernum usq; diem solem
contemnit, cum tamen nullum hoc familiarius sit spe=
ctaculum. Similiter & iustus Rex, si fretus est ueri=
tate, neque metuit quo coargui possit, quicquam, sit
quàm maximè communis. Nihilominus, uel
sic magis potius uenerabilis est futurus. Ne clau=
dum quidem Regem illum, quem in omnibus libris
historiæ suæ collaudat Xenophon, deridebant, neq;
ij quos

ij quos ducebat, neq; per quos ducebat, neq; ad quos
tendebat. Et hic tamen, in quancunq; urbem uenis=
set, diuertebatur in locis quam maxime publicis, ibi=
que uersabatur in conspectu omnium, quibus cordi
esset cernere Sparta Ducem. Atq; ille exercitu in
Asiam traducto, hominem quem humiliter uenera=
bantur gentes quarum nomina memorari nequeant,
parum absuit quin Regno & Imperio deturbaret.
De animi quidem elatione certè deturbauit. Cúnque
magistratu domestico reuocante, res Asiaticæ ipsi
ereptæ fuissent, multis deinde uictorijs in Græcia po=
titus est. Neq; alius quisquam mortalium Agesilao
in prælijs superior fuit, nisi is à quo superari par erat
Agesilaũ uno, in certamine quidem illum de tenuitate
& frugalitate. Epaminondas hic erat, quem hono=
re coronarum ornantes ciuitates ad conuiuia inuita=
bant. Ac ibat ille quidem uocatus, nam aliter facere
non licebat, si in illa dignitate crimine uacare uellet,
sed acetum acre deglutiebat, ne, inquit, domestici ui=
ctus Epaminondas obliuiscatur. Per iocum autem
quodam Attico adolescente capulum ensis ipsius de=
ridente, quod & materia esset uulgaris & nulla ela=
boratio: Non igitur, inquit, in prelio periculum fa=
cies capuli, sed aciem ferri neutiquam poteris culpa=
re. Quod si regium officium est gubernare & im=
perare, Imperat autem & gubernat is, qui dominus
est qualium esse decet tam studiorum quam morum,
de quibus periti gubernatores existunt, uidere licet,
quod non de externis neq; de pompa & specie, sed

moderatis & sobrijs, omnia de omnibus concludantur: Ex imperio scilicet & iusto regno eijciendam esse superbiae spiritus & sumtus immensos, quippe cui cum alienis rei nihil esse oporteat. Atq; hinc disputatio nostra producta est. Nos uerò & disputationem ad suam originem reducamus, & tu, Regem ad pristinum statum. Necesse enim est, si corrigantur mores, & redeat frugalitas, ut una cum hac aduentet antiquus decor, & ut contrariae factionis omnia recedant. Tuq; ô Imperator, utinam princeps & autor sis istius reductionis, & restituas nobis administrum regni Regem. Nam in ijs uersamur, ut desidia deinceps locus non relinquatur, neq; procedi ulterius possit. Omnes enim modo stant super acie nouaculae. Opusq; est Deo & Imperatore rebus presentibus, à quo è medio tollatur fatum Imperij Romani antequam existat, cum illud longum iam tempus parturiat. Quod sane fatum, simul reliquam disputatiõem annectens, & fabricando absoluens inceptam statuam regij simulacri, ostendam non procul abesse, nisi regni sapientia cum uiribus cõiuncta, prohibeat. Utq; tu is sis qui prohibeat, ego pro mea parte adiumenta afferam. Est autem Deus semper & ubiq; propitius bonis, neq; hos unquam deserit. Vnde igitur discessimus ab ijs quæ communiter oratione effingebantur, & ita una cum figura Regis ad hunc locum delati sumus? Censuit Philosophia oportere Imperatorem crebro una cum militibus uersari, & minime quasi in cubili delitescere. Docuit enim
benouo=

benevolentiam quæ sola est firmissimi Imperatoris custodia, de quotidiana consuetudine colligi. Cuiusmodi igitur genere esse milites uolet amans Imperatoris Philosophus, quorum & fidei committat corpus suum, & inter quos ipse excubet? Nimirum ijs quos agri & urbes, & ut semel dicam, imperio ipsius subiecta terra, tribuit propugnatores, & deligit custodes status publici atq; Legum, ubi & educati & instituti illi fuerunt. Hi enim sunt quos canibus similes esse Plato perhibuit. Sed neq; pastori faciendum, ut lupos inter canes collocet, (quamuis catuli horum sublatis interdum mansuescere uideantur) aut cum pernicie gregem illis concedat. Vbi enim canes aut robore defici, aut languescere socordia animaduuerterint, tam ipsum gregem quam pastorem adorientur: Neq; lator legum arma tradere debet, non natis neq; educatis sub ditione illarum. Nullum enim ab his pignus habet benevolentia. Atq; hoc fuerit hominis confidentis, aut diuini, iuentutem copiosam externæ educationis, suis uiuentem moribus, si cernat in sua regione arma tractantem, non reformidare. Nam aut persuasum hoc esse oportet, illos omnes sapientiæ esse cupidos & deditos philosophiæ, aut sane desperantem ita esse, arbitrari, Tantali saxum statui publico imminere tenuibus funiculis suspensum. Statim enim tum adorientur illum, cum processurum esse conatum sperabunt. Atque huius mali iam uelitationes quædam fiunt, & partes nonnullæ Imperij quasi corporis laborant, cum nequeant

queant ad sanitatis temperamentum, alieni in hoc,
conciinnari. Secernenda autem esse aliena tam à cor
poribus quàm ciuitatibus, præcipit Medicorum &
Imperatorum soboles. Non autem comparare co
pias quæ illis externis opponi possint, & quasi ipse
domesticæ sint, uacationem militiæ concedere multis
petentibus, & permittere ut in regione sua alijs re
bus operam dare liceat, Quid sit aliud? quàm fe
stinare hos homines ad proprium exitium. Cum æ
quum esset perpeti, ut aduersus Scythas qui hic arma
gestant, petantur aliqui uel ab agricultura nostra,
propugnatores ipsius. utq; ij delectus habeantur,
quibus ex schola philosophum, & de sella opificem
excitantes, & de foro eum qui hoc frequentat, & po
pulum ipsum, qui tanquam fucus per summum ocium
uitam in theatris degit: persuadeamus tandem illis,
ut ad seria conuertantur, antequam risus in fletum
mutetur, neue sinant impedimento sibi esse pudorem
uel meliorem uel deteriore, quominus populus Ro
manus suas & proprias copias habeat. Habent au
tem non aliter in Republica quàm priuata locum
protectionis, Mares, curæ autem & interioris con
suetudinis, foeminae. Ferendum ne igitur est, esse ali
enam apud nos, partem uirilem? Quin etiam tur
pius esse existimandum, concedere alijs principatum
qui est fortissimus, studium laudis in bello comple
ctens. Atq; me, si isti multis uictorijs pro nobis di
micantes potirentur, tamen puderet commoditatis
huius, Nunc id profectò noui & uerso animo (etenim
nemini

nemini absconditum est qui non demens sit) si illi (de
quibus loquimur) mares & foeminae, neq; germani
neq; omnino cognati sint, fore ut quantus paruus
praetextus sufficiat, ut armati isti, urbanorum se esse
dominos postulent. atq; decertabunt aliquando im=
belles, cum ijs qui contentione armorum sunt excer=
citati. Prius igitur quam eo quo res tendit, perueni=
atur, iam nobis animi magnitudo digna Romanis
recuperanda, & assuefaciendi sumus, ut nostro mar=
te uincere possimus, neq; sustineamus externi generis
societatem, sed hos potius omni loco exclusos repu=
diemus. Ac primum exturbentur de publicis mu=
neribus, & praemia curiae ab his amputentur, quibus
per summum dedecus ea obuenerunt, quae olim apud
Romanos habita sunt & re ipsa fuerunt honestissima.
Nam & nunc consiliare illud iuris, & alterum mili=
tare castrorum numen pudore occultari existimo, est
aliquis indutus sisyra, ductor chlamydatoru. cum &
quando exutis pellibus quas gestarat, sumit aliquis to=
gam, deq; statu Reipub. cum magistratu Romano
consultat, primo quidem hic & uicino consuli loco.
post ipsum sedentibus ijs quibus iure & legibus ille
honos debebatur. Atq; ijdem uix capite ex senatu
prolato, rursus sunt in pellibus. & reuersi ad pedi=
sequos togam derident, quam dicunt impedire edu=
ctiones ensis commodas. Mirari autem soleo cum
alijs rebus peruersitatem nostram, tum hac potissi=
mum. Nulla enim mediocris fortunae domus est,
quin habeat seruum Scythicum. Mensarum faber,
qui

qui ad caminum curat, qui portat amphoram, uniuscuique est Scythæ. Et illi pedisequi qui humiles & paruulas istas conuiuentibus crusculis sellas, humeris sublatas ferunt, super quibus in foro domini sedeant, Scythæ omnes sunt, eius generis quod iam inde à maioribus suis idoneum esse ad seruiendum Romanis declaratum est. At enim flauos istos & capillatos ad Euboicum morem, apud eosdem mortales, priuatim quidem esse uernas, publice uerò Magistratus, propterea quod est insolitum, maxime admirabile esse uideri merito debet. Et hoc si id non est quod ænigma uocatur, quid omnino ænigma sit, nescio. In Gallia quidem Crixus & Spartacus ignobilia arma gestantes, ut populo Romano spectante sanguine ipsorum theatrum lustraretur, postquam fuga elapsi, ad animum reuocarunt legum atque consuetudinis illius iniurias, excitarunt bellum quod seruile appellatum fuit, calamitosissime, ac si quod alterum illis temporibus gestum à populo Romano. Ad istos enim hostes & consulibus & prætoribus, & Pompeij denique fortuna ipsis opus fuit, cum non multum abesset, quin ciuitas Romana, de orbe terrarum abriperetur. Atqui illi, qui cum Crixo & Spartaco seditio-nem fecerunt, neque cum illis neque inter se erant populares aut ciues, sed communis fortuna occasionem nacta concordēs eos reddidit. Serui enim naturali sensu afficiuntur hostiliter erga dominos, quoties spes ostenditur superiores ipsos futuros esse. Nunquid uerò res apud nos eodem se modo habet? An magni-

magnificentius quasi materias absurdas alimus? Non enim duo sunt apud nos, neq; infames autores seditio-
nis, sed exercitus magni & scelerati, cognati seruis nostris qui infelici fato influxerunt in Romanum principatum. illi suos ductores habent, magna praeditos dignitate tam apud suos quam nos ipsos, nimirum uitio nostro. Ad horum quos iam habent, si uoluerint, existima milites accessuros esse seruos nostros, proteruos & audaces admodum, iniurgituros sese licentiae quasi iure, factis magis sceleratis. Hoc uallum demoliendum uobis est, & externa morbi caussa tollenda, priusquam occultum ulcus erumpendo appareat, priusquam incolarum alienatio deprehendatur, principio sane superari mala solent, quae progressionem corroborantur. Purgandus est ab Imperatore exercitus sicut aceruus tritici, unde & zia grana secernimus & alia quae succrescendo laedunt ingenuum & germanum semen. Quod si tibi uideor consilium dare de ijs quae non ita facilia sint, cogitare debes & quorum tu Imperator sis, & quae illa gens sit de quo uerba facimus, Nempe qua Romani superiores fuerint, ex quo nomen istud inter homines auditum est. omnes enim superant Romanicum quibus congregiuntur, consilio ac manu, & orbem terrarum iidem obierunt, sicut Deos ait Homerus,

Improbiter hominum simul & pie facta notantes.

Scythas uero istos & Herodotus narrat, & nos cernimus obnoxios omnes morbo effoeminato. Nam

hi sunt

hi sunt à quibus uniuersis seruitia suppeditentur, nunquam compotes aut domini telluris, unde & prouerbi-um natum, Scytharum solitudo, quod illi semper patriam fugiant. Quos & eiectos esse sedibus suis primum à Cimmerijs perhibent ueterum historiarum autores, deinde & ab alijs, ac mulieribus quoq; ac uestris patribus, & illo Macedone. Itaq; factum est, ut partim ad interiores partim ad exteriores processerint. Neq; his finis est (donec ipsi sunt) attri- buendi sese ijs quos exaduerso oppositos habent, quoties ab aliquibus exagitantur. Cùmq; repente impressionem fecerunt in eos qui non prouiderunt, aliquantisper turbant, ut apud Assyrios olim & Me- dos & Palaestinos. Atq; nostra ætate sanè non ue- nerunt ad nos bellum gesturi, sed supplices, cum rur- sum suis pellerentur sedibus. Experti autem Roma- nos molliores, non illos quidem armis sed ingenijs, (ut esse forte par fuit erga supplices) genus illud in- eruditum, id quod cõueniebat gratiæ retulit, ut effe- rentur audacia, & ingratis animis non agnoscerent beneficium. Quapropter cum poenas patri tuo ad- uersus ipsos armato, dedissent, rursus ad misericor- diam confugientes supplices procumbebant una cum uxoribus suis. At ille qui bello uictor, misericordia plurimum superabatur, & supplices illos erexit, & socios asciuit, & ciuitatis munere ornauit, & hono- rum fecit participes, & populi Romani solum distri- buit sceleratis & parricidis. Is inquam qui magni- tudine animi & generosa natura ad clementiam ute- retur.

retur. Sed barbari quid uirtus sit non intelligunt. Inde enim illi orsi nos usq; adhuc derident, non ignari & quid meriti, & quid à nobis consecuti sint. Atq; hæc fama uicinis horum uiam ad nos iam aperuit. & aduentant quidam sagittarij equestres externi & mirifici, ad nos homines faciles, petentes ut sese humanitate complectamur, illorumq; ut se inferiorum, exemplum prætendant. uideturq; hoc malum exiturum ad eam, quæ uulgo dicitur persuasio necessitatis. Nam philosophia de uocabulis non litigat, quærens quid sententiæ seruiat. etiamsi aliquid humile ad explicandam rem assumendum sit, modo perspicuum & consentaneum esse constat. Verum instaurato Marte ut pristina fama recuperetur, difficile, Externare canes fati quos exitus urget.

Si me audieris, difficultas illa prorsus expedietur, & res erit in procliui, primum numero militum aucto, deinde addito animo & alacritate. & legiones si sint nostræ atq; domesticæ. Accedat abs te Imperio id quo deficitur. & hoc Homerus præstantibus uirtute consecrauit.

Est animi motus turbati in Regibus ingens.

Aduersus igitur istos animo uehemente & concitato opus est, & mox uel agriculturæ operam iussu dabunt, ut olim Messenij positis armis Lacedæmonijs seruiuerunt, aut aufugient eadem reuertentes qua aduenerunt, & nuncium afferent ijs qui alteram fluminis ripam incolunt, non restare illam apud Romanos lenitatem, Sed ductorem iam hos habere, iuue-

E nem

nem quendam generosi animi,
Acri mente uirum, & cui sit iam obnoxius insons.

Atq; de educatione & institutione bellica ac militari Imperatoris hactenus. Nunc deinceps curiose & qualem in pace eum esse oporteat scrutemur. Qui autem bellator erit idem maxime pacificus futurus est. Soli enim conceditur in pace uiuere ei, penes quem est iniuriæ autorem affligere. Atq; mea quidem sententia, Is Imperator quasi conflatus fuerit de omnibus ijs omnino quæ ad pacem pertinent, Qui cum ipse à uoluntate alijs uim & iniuriam inferendi absit, eam potestatem habet, ut uim & iniuriam alienam propulsare ualeat. Nam nisi ipse tum bellum suscipiat, ei illud nimirum inferetur. Atq; est res multò beatior pax quàm bellum, quippe cum pacis causa bellici etiam apparatus fiant. Cum igitur in pace finis constituatur, præferenda hæc iure fuerit, ijs per quæ ad finem peruenitur. Decet igitur cum corpus principatus bifariam diuisum sit, in turbam nimirum armatam & inermem, Imperatorem, dedere se uicissim utriq;. Et cum à bellatoribus discesserit, uersari in urbibus & apud populum, quibus iam per bellatores securitas parta sit, ut agros colere & Rempublicam administrare tuto possint. Ita autem cum his uersabitur, ut quasdam tam gentes quàm ciuitates ipse frequentet, quo quidem rectè poterit peruenire. Quam autem partem subiecti potestati suæ populi attingere nequit accedendo, Illius curam tamen geret eo modo qui esse penes ipsum & præcla-

præclarissimus uidetur. Hic est legationum, res
per se sancta, & maximi facienda in hac parte. Qua-
rum consuetudine & usu Imperator cognoscere po-
terit remota, nihilo minus quàm propinqua. Neq;
oculorum sensu imperij cogitationem atq; curam
definiet, sed & instaurabit collapsa conspiciat nun-
quam, & ciuitatum inopiam subleuabit, & mune-
rum curationes atq; ministeria remittet, ijs qui iam-
pridem in hoc genere laborant. Bellum etiam de-
nunciatum inferet, & susceptum conficiet, & ali-
quid præterea disponendo atq; ordinando, præpa-
rabit. Hæc commoda percipiet ex legationibus, ut
numinis diuini instar, cuncta audire & cernere pos-
sit. Quibus & aditum ad se patere uelit, & se eum
præbeat qui placidus sicut pater illorum sit, siue ui-
cinos seu minus, eos habeat. Hoc enim audio dicen-
tem Homerum generaliter de illo suo pacifico rege.
Ac primum edicatur ut milites parcant & minime
molesti sint urbium agrorumq; incolis, memores
quid laboris ipsorum caussa sustineant. Nam ut sal-
ua sint commoda urbium & telluris, Imperator ipse
& hæc protegit bellando, & bellatores deligit.
Quod si quis externum quidem hostem à me arcet,
seipsum uerò immoderatè erga me gerit, Is nihil dif-
ferre mihi à cane uidetur, qui ideo lupos quàm lon-
gissimè repellit, ut ociose gregem diripere possit,
quem par erat contentum esse custodiae mercede,
iniurgitantem lac ouium. Hæc igitur certa pax est,
si ita institutus sit miles ut inermes habeat fratrum

loco, neq; quicquam auferre postulet, præter id quod
ex præscripto debetur. Neq; hoc Regium aut Im=
peratorium est, exactiõibus affligere ciuitates. Bo=
nus enim si est, quorsum opus illi pecuniæ copia?
cum neq; animo dissoluto sumtibus implicetur, aut
omisso usu frugalitatis, ambitiosam iactationem se=
quatur: neq; iuuenili sententiæ indulgens ludis sce=
nicis impendat sudorem bonorum. Cũq; adeo nulla
huic necessitas imponatur, ut crebro bellum suscipi=
at, cuius quidem, secundum Laconicum dictum, non
est aliquod dimensum pabulum. hunc enim, cum bo=
nus sit, oratio euincit nullis peti insidijs, & à nemine
oppugnari. Contractis igitur ijs ad quæ pecunia
opus est, iam nihil hac superflua est opus. Necessa=
ria autem parari sine molestia sic maximè poterunt,
Si neq; in necessarijs aliquid remittatur, & in exacti=
õibus modus seruetur, facultatibus ciuitatum tempe=
ratus. Imperator autem pecuniæ cupidus, turpior
est caupone. Nam hic inopiam domesticam miti=
gat, In illo autem animus uitiosus quid prætexat,
non habet. Equidem sæpenumero considerans af=
fectiones uitiorum, singulæ eorum quales nobis red=
dant, quasi intabescentes ipsis, uideor mihi animad=
uertere, etiam inter priuatos genus istud pecuniæ
querendæ deditum, humile & maliciosum & inpri=
mis illiberale esse, magis quàm aliud ullum, quodq;
in sola ciuitate corrupta & minime sana, locum re=
periat non prorsum infamem. Quippe cum hi alios
anteuertentes ipsi à sese despiciantur, quod contra=
ria sit

ria sit cogitatio illorum, naturæ uoluntati, de eo quod primum est & plurimi. Natura enim corpus ad ministerium animi destinauit, & res externas ad ministerium corporis. Posterioris autem esse secundas partes uoluit. At isti tam animum quam corpus copulant cum tertio. Qui igitur se ipsos contumelia afficiunt, & qui in eis est principatus, hunc dant in seruitutem, ab his quid rei aut consilij præclari & eximij expectandum? Quos ego si dicam esse formicis humiliores & minus cordatos, non pudeat me ueritatis. Nam hæc quæstum metiuntur usu necessario ad uitam degendam, at hi uitam ipsam metiendam putant necessario usu quæstus. Repellenda igitur est tam ab Imperatore quam huic subiectis exitiosa ista pestis, ut ipse bonus bonis impetret, & reuocandum studium uirtutis, In quo ipse & decertare & certamini præsidere debet. Turpe etenim est, ut quidam dixit, excerceri publice iaculis & caestibus, & coronas imponi uincentibus, Non autem excerceri frugalitate & uirtute. Sane credibile est, uel potius certum atq; omnino necesse, ita animatum atq; affectum Imperatorem sequentes ciuitates, uitam uiuere priscam, auream illam & decantatam, importunam malis, opportunam bonis, & ante omnia pietate. Ad quam Dux ipse Imperator esse debet, Deum implorans quicquid rei tam paruæ quam magnæ incipiat. Est enim uisu audituq; honestissimum, Regem in populo manus extollere, & uenerari communem Regem populi & suum. Et est

taneum, numen diuinum letari, Imperatoris pij & honorem sibi habentis cultu, atq; hanc esse occultæ copulæ conciliationem. Post hæc, cum studiosus sit numinis diuini, humanitate etiam uincet omnes, ut qualis ipse Imperator forte fuerit, talis subiectis potestati suæ etiam esse uideatur. Hinc uerò iam quid quod deceat & rectum sit, abesse poterit? Atq; reflectitur nunc oratio ad ea quæ paulò ante commemorata sunt. Inter Regias & Imperatorias notas posuimus beneficentiam, largitorem rursus bonorum & propicium, quæ Dei cognomenta essent, annumerantes. Illa igitur ipsa, & quæ præterea dicta sunt, priusquam polliciti essemus figuram Imperatoris nos expressuros, ea collocentur iam inter partes & compleant simulacrum. Quorum scilicet erat caput, quod ille qui esset suppeditator bonorum, defatigationem in hoc non sentiret, non magis quam sol suos radios stirpibus & animantibus impertiens. Non enim splendorem emittendo ille defatigatur, cum natura ipsius splendorem complectatur, & sit hic fons lucis. Ipse igitur Imperator in istud uitæ genus ingressus per se ipsum disponet omnia, ad quæ extendetur ditio illius. Et eos qui solio uicini sunt, secundi ab ipso solo, cæterisq; omnibus priores, Regia animi instructione, eo loco cõstituet, ut profint alijs pro sibi attributæ potestatis modo. Atq; hoc pacto primum cura aliorum procedit longius, cum hæc plurium manibus tractetur. Sed nihilominus opus est, ut in tam magno imperio, præsides & mode

et moderatores ad eos mittat, qui finibus longè distant. Post hæc et studiose deligendi sunt, qui iudicijs et cognitioni causarum præficiantur. hæc enim est diuina quædam et multiplex prouidentia. Nam cuncta loca, et omnes homines, et singulas controuersias uelle nosse, requireret crebram circuitionem et excursionem, ac ne Dionysius quidem huic curæ sufficere potuit, unius insulæ, ac ne totius quidem illius imperio potitus. At per paucos procuratores, multorum curam sustinere licet. Hanc appellarunt Deo conuenientem generalem quandam tutelam, quam in sublimi sede permanentem, et respicientem ad minimas etiam partes, ne minime quidem partes fugiunt. Hac utens Deus non ipse apud nos tenuiter elaborat singula, sed quasi manu, utitur natura, in sua manens sede, et est autor et causa bonorum ad ultimum usq; , causa existens causarum. Atq; hoc itinere procuratio Reipub. Imperatori persequenda est. Distribuat principatum quàm fieri potest iustissimis et optimis. facilius enim cognoscet paucos quàm multos. et citius sentiet paucorum delicta, quàm rectè facta. Ex optimis igitur non ditissimis, ut nunc fit, legantur ij quibus magistratus mandentur. Nam et Medicis committimus corpus, non ditissimis illis quidem, sed artis suæ peritissimis. Ac multò magis decet legi magistratum gubernandi scientia præditum, præ diuite, cum plura tum in discrimen ueniant status felicioris

aut deterioris. Quid enim? Si quis ex eo quod im-
probus esset, collegit opes, Dignum ne uideatur ma-
dare huic magistratum? An pauperi potius, uiro
probo & iusto, quem ideo quod iustus est, non pu-
det contubernalem esse paupertatis. At enim ille di-
uitijs quomodocunq; partis affluens, emto magistra-
tu, nesciet profectò, qua ratione ius & fas dispensari
oporteat. Videtur enim, ut sic loquar, non facili-
mè hic iniusticiam odio esse habiturus. Vix autem de-
spicere pecuniam iste poterit, ac faciet potius de cu-
ria forum uenaliu caussarum. Non enim toruis
oculis aurum hunc esse intuiturum, ac contra potius
credibile est facturum, ut reuereatur & cedat &
tandem illud amplectatur, quippe cui hanc gratiam
debeat, quod parte diuitiarum impensa, ciuitatem
comparauerit, & sicut aliæ res solent, ita ciuitatum
gubernationem mercede conduxerit. Itaq; scit se
per diuitias sublimem præsidere, & suspici cum ab
alia multitudine, tum ab honestioribus quoq;, & iu-
stis ac egentibus. Tu uerò perfice, ut uirtutis ali-
quid in admiratione sit & magnifiat. Ne sit ignota
tibi ullius prudentia atq; iusticia, & reliquum bono-
rum animi examen, quamuis uili tegatur ueste. Atq;
protrahere in medium hoc & iube publicari uirtutis
operas, quam domi desiderare non decet, sed sub aper-
to coelo & quasi in acie uersari. Plane enim scire de-
bes, præconium quidem de illis, sed te eum ciuem fo-
re, cui præconium tributum fuit, per omnia speci-
men,

men, successione temporis, dantem Imperatoris beati. Quod si ita feceris, breui cernes fore ut multos quæsitæ diuitiarum pudeat, alij uerò ut sua sponte electæ paupertatis speciem ostentent. Ac in contrarium opiniones de diuitijs ideo recident, quod reperisse diuitias, probro sit futurum, & pars dignitatis custodisse paupertatem. Nam cum multa admiranda & magnificienda & prædicabilia attribuerit Deus Imperatorie maiestati, nihil est quod sit minus, uel hoc potius omnium maxime est admirabile & decantandum, tantam illam in animis populi uim habere. Imperator enim mutat opinionem moris diuturna consuetudine & primis delicijs quasi inuistam, quoties apparet contrarijs eum honorem habere & plurimum tribuere. Quibuscunq; enim gaudet Imperator, id statim necesse est augescere, & plurimorum studijs coli. Atq; in hunc locum delatus, uolo quædam de meis amoribus uota facere. Utinam ô Imperator, philosophiæ & ueræ institutionis optimarumq; disciplinarum amore capiaris. Necesse enim fuerit, de ijs quæ dicta sunt, multos te habiturum esse qui alicuius rei sunt, riuales. Nam quæ nunc est hominum negligentia, periculum impendet, ne penitus extinctis studijs philosophiæ, non relinquatur uel fauilla, unde, si quando uelimus, rursus illa accendi possint. Verum pro philosophiane, hæc modo uota suscepi? An cum illa nihilo deterius agitur, si apud homines domicilium habeat nul-

lum. Sedem enim domesticam apud Deum hæc habet, cum quo quamuis hic sit, plerunq; tamen aliquid ipsi rei est, & quoties non capit descendentem terrena regio, apud patrem remanet, dictura non immerito,

Haud opus isto

Est mihi honore, Iouis sed iustus honor mihi cordi est.

Sed humanæ res profectò, ut hæc abest aut adest, ita deteriores aut meliores sunt, uel potius plane beatae aut miserae. Pro his igitur uota feci, cum de philosophia feci. Atq; utinam uoti compotem fieri liceat, quod Plato & ipse fecit sed parum feliciter. Vtinam te uideam ad Imperium applicantem philosophiam. Neq; me iam plura de Imperio ac regno disputantem quisquam audiet, Et tempus enim iam est ut orationem finiam, cum hoc uno omnia comprehenderim, & si id contingat, id ego tibi iam tribuerim, quod incipiens petiui, pollicitus ego quidem Imperatoris effigiem demonstraturum me esse oratione, est enim prorsus umbra rei oratio. A te autem uicissim petij, representari mihi istam imaginem utuam & se mouentem. Quam non dubito me breui esse uisurum, & redditurum te mihi officium Imperatoris, si disputationes meæ non quasi ante fores aurium excubantes restiterint, sed permanserint ad animum quoq; & in huius penetralibus habitare & degere uoluerint. Ac non sine numine diuino,

uino, philosophiam ad hanc cohortationem incita=
tam esse mihi persuadeo, quæ studium suum adiun=
geret Deo ipsi parato ad te augendum, ut facile
conijcere licet. Me autem æquum fuerit primum
frui germine consitionis meæ, & eum te Im=
peratorem, quem effingo, experiri in
exponendis ciuitatum petitio=
nibus, & responsis au=
ferendis.

F I N I S.

NOTATA QUAE
DAM IN CONVER=
SIONE.

CV M me rem gratam facturum esse arbitra=
rer, ijs qui conuersionem nostram legerent,
neq; de quibusdam diligentius cogitare, aut exquisi=
tioni uacare possent: Si quaedam quasi explicando
studuissem reddere cum euidentiora tum illustriora,
addidi hanc etiam operam priori, festinatam illam
quidem, ut facile apparebit, sed neq; indiligentem,
neq; prorsus, nisi fallor, contemnendam. Atq; satis
intelligi

intelligi potest de hac ipsa narratione, uenisse Synesium Constantinopolim, legatum à sua patria & finitimis ciuitatibus, ut & Imperatori Arcadio successorem gratularetur, & quibus aduersis illæ premerentur exponeret, & peteret onerum grauissimorum alleuationem. Itaq; ueram esse inscriptionem puto, ad Arcadium. Etsi Euagrius mentionem fecit compellationis Theodosianæ. Nam perspicue significat Synesius orationem hanc habitam coram filio Theodosij superioris. Quod si Euagrius non uacillauit memoria, aliam esse oportet compellationem Theodosij, id est, λόγον προσφωνητικὸν πρὸς Θεοδοσίον. Quod autem præscribitur εἰς τὸν αὐτοκράτορα, id ad Imperatorem non tam narrationem, quam laudationem significat. Dixere enim in aliquem Græci scribi, tam ea quibus inueherentur grauius, quam quibus laudibus illum ornarent, uel etiam instruerent præceptis.

Ἰξέσθαι πλὴν καρδία) Metaphora prouerbij Aristophanici. Ita enim in Acharnensibus. ὅσα δὴ δέδκνμαι πλὴν ἐμαυτῶ καρδία. Similiter ἐν ἄλλῃ proxima accessionem significat & quasi tactum. Placet Grammaticis esse ἀπκοπλή. ἄλλῃ, pro ἄλλῃ, & translationem ductam à tonstrina, ut alibi retulimus.

Οπιπαρέ & lautè miscendo) καρύκεια hæc est. & καρύκη dicebatur cibus exquisita mistione plurimum ad suauitatem apparatus. Proprius culinarum Lydiarum, Vnde & prouerbium factum, μήτε λυδῶν
δῶν

δῶρ καρῦκας, μήτε μασίγωρ φόφες. cum si-
gnificatur suauibus carere eò esse facilius, si absint ἔ
molesta.

Modo ne) ἄλλὰ μὴ, Græcæ linguæ propria
ἔλλαψις. Integrum esset, ἄλλὰ φυλάσσειδε
μὴ, uel ὅπως μὴ. ἔ ἄλλὰ habet nunc monendi
uel rogandi significationem. Vt Platoni Hippia ma-
iore, ἄλλ' ὅπως πρέσβη καὶ αὐτὸς. Sed uide
quaeso, ut ἔ ipse assis. ἀγροικία autem est rustici-
tas aspera, recedens ab urbanitate ἔ ciuilitate, si-
cut hanc exuperat scurrilitas, id est, βωμολοχία.

Aures laudationibus deprauatæ sunt.) ὑπ' ἐπαί-
νων τὰ ὦτα ἐκδεδίηται. Metaphora est du-
cta à consuetudine uitæ, qua ut honestas confirma-
tur, ita mores maxime deprauantur. Est igitur ἐκ-
διδάτκσις corruptio uitæ, in disciplinæ dissolutio-
ne ἔ educatione mala. Suntq; hoc uerbo postero-
res scriptores libenter usi, Euagrius de Iustino Im-
per. ἐπεταὶ γὰρ τοῖς ἐκδεδίητῆμένοις πῶ-
θεν ἀνθρώπων, τό, τε ἀγεννὲς καὶ τὸ δρασύ.
Malè educati ἔ petulantes neq; laudem retinent ge-
nerositatis ἔ esse audaces solent. Hi iam erunt ni-
mirum ἀκόλαστοι.

Me tibi Cyrenæ legant.) De legatione est di-
ctum. Cyrenæ autem urbs in Africa, Græcis est
κυρῶν, condita à Batto filio Polymnesti, ad fontem
cognomento Apollinis, ubi commendantes Libyes
regionem, ea parte cælum esse perforatum dixisse
refert

refert Herodotus μελπομένη. quasi illuc omnis fecunditas & rerum copia deflueret. Hic Battus cognomentum inuenit Beati. Nominatam autem urbem hanc κυρῶλω perhibent à Nympha filia Hypsei nepte Penei fluuij & pronepte oceani. Sunt qui originem nominis Hebraicam esse perhibeant, & significari illo urbem fontis.

Regis animum confirmare.) Nunc enim μεταβαλκῶς καὶ ἑνορηνικῶς usus est uerbo. Quo alij ἀμεταβάτως, ut Theocritus, Δαρσῆρ χρὴ φίλε βάτῃε τάχ' αὐριορ ἔωετ' ἄμεινορ.

Est autem Δαρσῆρ, κοινότορον. Δαρσῆρ ἀπικώτορον.

Ita rem ordiri) Græca phrasis peculiaris est ἐλλείψις. οὕτω πρῶτον πρῶτον. id est, κατὰ πρῶτον ἀρχῶν, aut tale quippiam. Vis ne ita agamus prima aggressione? Et mox, turbare uenationem, Metaphora est manifesta. Sed δύραρ perperam scribitur, cum uerum sit, δήραρ. Metaphora eadem apud Platonem cuius lector diligens fuit Synesius, λύσιδι. ποῖο ὄνυρ ἄρ σοῖο δοκῆ δηρδότης εἶναι εἰ ἀνασοβοῖ δηρδύωρ, & δυσάλωτοτέρω πρῶτον ἄγρω ποιοῖο. Qualis tibi uenator esse uideatur, qui inter uenandum obstrepat, & in caussa sit ut uenando difficilior captura reddatur.

Execrare & repudia) ἀπείροπμπεῖο. Græca lingua infinitiuis utitur, edicens & iubens & monens

monens & præcipiens. siue κατ' ἑξῆς seu κατ' ἑναλλαγῶν, ut aliàs dictum est. Græcum autem uerbum duobus Latinis studuimus exprimere, quod significat ritum quendam solennis auersationis & abiectiois atq; detestationis.

Verecundia est, ut & Hesiodo uid.) Hesiodus dicit in extrema uitæ improbitate & morum petulantia, & impunitate scelerum, reliquisse terras candidas deas αἰδῶν ἢ νέμεσιν & rediisse in cœlum.

Grauitè & iniquo animo ferre.) εὖ δὲ τὴν τιθεῖν significat hoc plane quod illis Latinis uerbis indicatur. sicut εὖ τὴν τιθεῖν contra, boni consulere & æquo animo ferre.

Beatum prædicare & laudare.) Hæc in Ethicis differuntur, & Rhetoricis scriptis. & sunt Aristotelicæ doctrinæ. Distinctionis autem subtilitas Græci sermonis est peculiaris, neq; in Latino exprimi potest. Interpretantur autem Latini tam εὐδαιμόνεια quàm μακάριον quàm etiam ὀλβιον beati & felicitis nomine. Et Græci felicem εὐτυχῆ uocant, qui est proprie fortunatus. Hoc loco autem μακάριον diuinum nomen in fortunam Synesius implicat. Sed hæc, ut dixi, in Ethicis disputantur.

Fortunæ benignitas.) Ea est εὐτυχία prosperi successus. Et est figura sermonis usitata Græcis, ἡ σάωθεις, εὐτυχία πλάγος, id est res uaga. Sicut fama malum.

Recor=

Recordare patris.) ἀναπέμπασαι. ἀναπεμ
πάζει. translatum est ad considerationem & re=
cordationem animi qui sunt ἀναλογισμοί. Signi=
ficat autem numerare uel enumerare. nam Aeolen=
ses πάντες dicunt πέμπε. Et solent pleriq; omnes
summatim aggreganda V. explicare numeros. The=
odosius autem maior pater Arcadij uirtute sua ad
societatem primum, & mox potestatem imperij
peruenit.

Imperator.) τὸν βασιλέα & Regem & Im=
peratorem, sumus interpretati. ita enim conueniens
& rectum esse uisum.

Postuletur temeritatis.) διώκειν significat iudi=
cio persequi & accusare. Et φεύγειν reum esse.
φροίμια autem sunt προοίμια, Attica Synaloe=
pha. nobis aptum fuit uertere originem. Poteramus
autem & exordium.

Imperij titulum adeptus.) ἀνάξῃσις quæ &
ἀναγώγισις, est renunciatio qua declaratur, qui,
cui honor collatus sit. id est, de Imperatore crea=
to, quod nos fecimus. ἀκόνιτον autem est ἀπὸ τῆς
κόνεως, id est, à puluere & arena, in qua ueteres
ludis publicè decertabant. significaturq; μεταφο
ρικῶς senectus carens laboribus & certaminibus.
Quod de Theodosio aliter se habuit, nam paulò an=
te mortem cum seditiosis acerrimè conflictatus fuit.
Sunt autem historiae notæ de perfidia Maximi &
Eugenij.

Lacrimis populi.) Græca sunt elegantia. ὄθον
οἰμῶζε

οἰμώζεται δ' ἀρχόμοιοι. Nam δ' ἀρχόμε-
νοι significat multitudinem alterius potestati sub-
iectam. Ἐ οἰμώξασθαι prouerbij etiam figura u-
surpatur.

Calcaribus incitet) μὴ πῖσθῃ. Ἐ uno uerbo
reddi poterat, extimulet.

Tesseram.) Verbum militare. σώθημα ἄ Graecis
est ab eo quod de aliquo signo conuenerit. κῦρ
παίδείας tertio, πρὸ κῦρ ὁ κῦρ ὁ σώθημα,
Ζεὺς σύμμαχος ὁ ἡγεμῶν.

Vestibulis lucorum.) τεμένη consecrata loca
sunt dijs ueteri superstitione. Sed licet προτεμε-
νίσματα etiam sanorum seu aedium sacrarum ue-
stibula interpretemur. Nota autem est σύμβολον,
significatio occultior, qualis est Ἐ eorum quae Py-
thagorae symbola uocantur.

Virtutum classis.) τριτῆς. Res Ἐ uocabulum
peculiare Atheniensium. Tribus pars tertia. nos quo
nomine potius quam classis interpretaremur non
reperiebamus, nam curiae, non arrisit.

In quibusdam minus, in quibusdam plus.) πλεον-
εξία Ἐ μειονεξία peculiaria uocabula sunt lin-
guae Graecae, Significatur autem omnino id studium
quod nostra interpretatione indicare sumus conati,
plus aut minus adipiscendi, uel etiam copia ipsa hoc
loco Ἐ inopia.

Externa bona.) Ἰσχυρία, quae foris sunt. quae Ἐ
τὰ ἔξω uocantur, Ἐ ita ab animi bonis distinguun-
tur quae interiora sunt.

F

Quo

Quo præmittatur dispositio.) προοικονομῶ-
μενον. Elegans metaphora à cura & dispensatio-
ne rei familiaris. Hac enim disputatione loco idoneo
explicata, præparandam putauit autor intelligen-
tiam audituri cætera.

Pater noster excl.) Ἡ ἀεὶ ἐστὶν ἡ ἀληθὴς scriptura
πᾶσι τοῖς ἡμῶν. Indicata autem est solennis & do-
minica Christianorum precatio.

Hinc progrediens.) ἐνθουσιάζων. Sic enim scri-
bendum, ab agitatione equorum ducta metaphora.

Verus & domesticus Rex.) ἀφ' ἐσίας. Prouer-
bij figura dixit, talem orsurum esse regni gubernationem à foco & laribus.

Admirationem & terrorem indicauit ἐκπλή-
ξεως & καταπλήξεως uocabulis. Nam κατα-
πλήξ pauidus est & quasi percussus, & Thucid.
ait, ἡσυχίαρ εἶχε ἢ καταπλήξιν. ἐκπλήξιν
autem hoc loco significat commouere admiratione
sui. Homero uerbū perturbationem significat, odysse-
σ. ἐκ γὰρ μετ' ἄλλοισι πῆλ' ἄνθρωποι.

Ad unius imperium.) κόσμῳ administrationis
& gubernationis & curationis ordinariæ significa-
tionem habet. Vt πᾶσι τὰς ἐλαχίστας τὰς αὐτῶν
κόσμῳ. rege & cura. & Homero ductores sunt
κοσμητορες. appulsum autem uertimus προσβο-
λῶν, quo uerbo indicatur uirium diuersarum inter
se compositio, & mutua inclinatio.

Neg

Neq; me fugit.) Versus sunt Euripidis. Pronun-
ciantur autem à Medea, hoc modo,
ὄχι μανθάνω μὲν οἷα τολμήσω κακὰ,
δυμὸς ἢ κρείσσων ἢ ἐμῶν βδελυμάτων.
Cūq; addiderit participium masculinū ἐπιγυνοῦς,
fieri potest ut memoria lapsus sit.

Qui castigant.) Græca sunt hoc loco obscurio-
ra, eamq; ob causam et conuersio minus est illustris.
Sensus autem est, non simulatè aliquos appellari de-
bere amicos, ut multi facere uideantur, in spe ita pos-
se corrigi, opinionem asperitatis suæ & difficilis atq;
grauis dominationis.

Amplificare.) Ζηλωτοῦς πρῶν. Peculiare &
hoc uerbum est Græcæ linguæ. Itaq; non semper eo-
dem Latino transferri solet. Significationem habet
eius felicitatis quam æmulari & cui inuidere alij con-
sueuerint.

Naturam principem.) ἀρχαία οὐσία. quod
antiquitate & causâ atq; effectiōne primum est, id
ἀρχαῖον à Græcis dicitur. οὐσίαν autem quo alio
nomine interpretemur quàm Naturæ, siquidem es-
sentia displiceat, non uideo.

Ac Plato.) Locus est in secundo rerum publica-
rum. προτέλεια autem præparatiōes sacrorum
dicebantur, & res diuina quæ ante nuptias fiebat,
Transferturq; nomen ad quascunq; rerum bonarum
præparatiōes, qualia sunt quæ προπαιδεύματα
τὰ & προγυμνάσματα dicuntur.

In conflictu arm.) ἔν χειρά δ' ἄρ' ὄρσ. σ' ἄνεκ' ὄρσ
χικῶς. Στρατηγὸν autem nunc ductorem sumus,
interpretati. quo etiam nomine appellant Græci eum
quem Latini prætozem.

Qui potiore aliquo loco curant.) Hi sunt οἱ ἐν
τέλει, id est, qui loco præcipuo sunt et munere pu-
blico funguntur. Sophocles Aiace,
κλύει τὸν ἐδδλὸν ἄνδρα καὶ τῶν ἐν τέλει.
ἐν τέλει

Gestire pedes.) Locus Homeri quem Synesius
nunc commentatur est ἰλ. ν'. ἀπορυσάλπισον au-
tem dixit imperitum rei militaris, qui tubarum soni-
tus aut non audiuit, aut non assuevit audire. Διήκει
autem est acuire, et ducitur μεταφορὰ ἀ ferro
quod cote acuitur.

Extollere laudibus.) κυδ' αἶνευ. Sic autem Aga-
memnon iliad. κ.

φθέγγεο δ' ἕκαστον ἰκδοῦν ἐγρηγόρθαι ἄνωχθι
παρ' ὅθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζωμ ἄνδρα ἕκασον.
πάντας κυδ' αἶνωρ. μηδὲ μεγαλίζεο θυμῶ.

Non aberrauerit ictus.) οὐκ ἄτ' σκοπῶ βά-
λοιμ. odysf. φ'. dicitur οὐδ' εὐτ' σκοπῶ ἡμβρο-
των. Vnde Prouerbij figura de ijs qui non fallun-
tur neq; errant, ducta est. ὁ δ. autem λ. est ἐξήκη-
σις addita, θυμῶν ὑμμιν ἄτ' σκοπῶ οὐδ' ἄτ'
δ' ὄρσ μυθεῖται βασιλῆα. In uersibus autem
quos addidit est πρῶτα Homericorum ἰλ. λ.

τις

τις δ' οἶδ' εἰκὲν δι' αὐτὸν δαίμονι θυμὸν ὀρί-
ναις

πρὸς πῶρ. ἀγάθῃ δὲ πρὸς αἴφασιν ὄσιν ἑταίρῃς. 3

Belli nimirum ut sint.) Sensum uerborum puto esse expressum. Malim autem τὸ τὸς ὡς χαρίωντας ἄρα.

Qui autem fructus est.) ὁ δὲ ἀπλελάυκατε. Usitata ἑλλήσις Græci sermonis. ἐν ἧθ' monitionis. Integrum erat simpliciter hoc quodammodo. ὁ δὲ ἀπλελάυκατε τὸ οἰκτρίας, ἐκείνο γνώσεσθε, uel simile quiddam.

Mordet enim.) Homerici uersus initium ὁ δ' δ. δ. gemmas autem esse infixas, interpretati sumus τῶν ῥονῶν, quod his ad connectendas uestes etiam tum uterentur, quasi earum loco quas nominarunt fibulas.

Pauonum instar.) ὡσπερ οἱ τῶν. ita enim scribendum Attico casu nominis. Execratio autem Homerica ἰλ. ε'.

λαϊνὸν ἔσο χιτῶνα κακῶν ἐνεχ' ὅσα ἔοργας.

Honore et dignitate æqualium.) ὁμότιμοι sunt eiusdem loci et dignitatis. qualis erat patricius ordo Romæ, et sic apud Persas atq; Spartiatas uocabatur præcipua nobilitas.

Palla implicati.) Delicias fecit autor hoc loco τῶν μεταφορῶν. Aristophanicum autem est ἐν νεφέλαις.

Ἐν τῷ πρῶτῳ ἐπιπέδῳ ἐγκορδύληται. Ἐχθοροῦντες autem non sunt simpliciter onusti, sed quasi baiuli.

Initia.) τελετή. exquisita quaedam quasi in sacris arcanis observatio.

Suam terram.) τῷ οἰκείῳ. Et ita scribi oportet. Est autem ἑλλάξις, τῷ οἰκείῳ γλῶσσι ἢ χώσῳ. Quod autem sequitur ἀκροτελεύτιον, est uersus Homericus Ἰλ. τ'.

Germinibus.) προβολαῖς. προβάλλουσιν enim stirpes cum incipiunt uirescere, ut cum trudent de palmite gemmae, tum uites uirescunt.

Responsum esset daturus.) χρηματίζονται. à negocijs ductum est uerbum. Conuenit autem responsum hoc loco, quod daretur legatis. nam generalis est significatio, tractationis et explicationis publicorum negociorum, et sententiae atque decreti. Aristoph. δεσμοφοριαῖς, χρηματίζονται πρῶτα πρὸς εὐριπίδου. Primum referendum esse de Euripide, et decernendum de poena. Thucydides, τισὶ πόλεσιν ἐχρημάτισε πρὸς Ὀλίαν, cum quibusdam agit de societate.

Atque caput nit.) Versus est Homericus ὄδ', ὄ. de ministris procorum.

Carinum.) Tandem nomine illum praecclarum Imperatorem indicat. Sed uel scribae est hic error, uel auctoris memoria uacillauit. Nam Carinum filium Cari neque cum Persis bellum gessisse, et fuisse patris dissimilimum traditum est. Quapropter pro Carino

Carus

Carus reponetur. Illud autem, $\omega\acute{\iota}\sigma\iota\nu\omicron\rho \xi\omega\lambda\omicron\rho$
 $\xi\tau\nu\Theta$, quia numero se cadere uidebatur, suspicati
sumus esse $\acute{\alpha}\iota\omicron\lambda\omicron\rho$.

Functio ministerij.) $\lambda\epsilon\iota\tau\upsilon\rho\gamma\epsilon\mu$. Significatur e-
nim hoc uerbo muneris publici administratio, ut ali-
bi ostendimus.

Fucosam speciem usurpatis.) $\xi\kappa\alpha\lambda\omega\pi\acute{\iota}\sigma\alpha\theta\epsilon$
 $\delta\omicron\nu\omicron\mu\alpha\acute{\iota} \beta\alpha\sigma\iota\lambda\acute{\epsilon}\omega\varsigma$. Significat enim $\kappa\alpha\lambda\omega\pi\acute{\iota}$ -
 $\zeta\epsilon\theta$, formæ alienæ fucum Θ speciem. neq; ait un-
quam hoc factum esse. $\nu\tau\lambda$ $\acute{\alpha}\nu\alpha\rho\omicron\nu\iota\sigma\mu\omicron\rho$, ideo
præsenti tempore in uertendo sumus usi.

$\acute{\alpha}\upsilon\tau\omicron\kappa\rho\acute{\alpha}\tau\omicron\rho\epsilon\varsigma$.) Penes quem omnia sunt, ut
non opus sit relata aliqua re ad alios.

Erat Athenis etiam Rex.) Huius uxor $\beta\alpha\sigma\acute{\iota}$ -
 $\lambda\iota\omicron\varsigma\alpha$ dicebatur. Curatio erat ipsius sacrorum Θ
iudicium ad illum pertinebat impietatis, id est, $\delta\acute{\iota}\kappa\kappa$
 $\acute{\alpha}\sigma\epsilon\beta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$. Similiter Θ Romæ Rex fuit sacrorum.

Regni iusticia mirificè commendat.) $\zeta\eta\lambda\omega\tau\acute{\iota}\omega$
 $\eta\rho\acute{\iota} \beta\alpha\sigma\iota\lambda\acute{\epsilon}\iota\alpha$. Ita enim studuimus Græca inter-
pretari, ut aliquid à legentibus intelligeretur. Quid
autem sit $\zeta\eta\lambda\omega\tau\omicron\rho$ supra diximus. Reddit igitur iu-
sticia regni admirabile Θ suspiciendum Imperium
unius. Nam $\beta\alpha\sigma\acute{\iota}\lambda\epsilon\iota\alpha$ nunc regnum iustum signifi-
cat. Disputationes autem Platonice his de rebus sunt
potissimum in politico Θ libris tam rerum publica-
rum quàm Legum. quod autem non esse funambulū
Deum interpretati sumus, mouit nos id quod additur
 $\tau\omicron\rho\alpha\tau\upsilon\rho\gamma\epsilon\mu$. Sed ita scribetur $\chi\omicron\iota\nu\omicron\beta\alpha\tau\omicron\rho$.

Funambulus.) Χοῖνοβάτης. atq; hæc est uera
scriptura.

Qui hoc illis uitio uertat.) φθόνος οὐδ' εἶς.
Prouerbij figura est, de ijs quæ concedimus aut nihil
moramur. Eurip. Hecuba. τὸν χρόνον γὰρ οὐ φθονῶ.
Non grauatim hanc moram tibi concedo. Et mox,
in quo nihil sanitatis est, οὐδὲρ ὑγιᾶς. Prouerbij fi-
gura. Eurip. Andromacha de Spartanis, ἐλκτὰ
κὸυδὲρ ὑγιᾶς ἀλλὰ πᾶν πᾶσι.

De animi elatione.) Hoc est φρόνημα, Vnde ὁ
φρόνηματίας, qui animo est elato ὁ alios despi-
ciente.

Videre licet.) Fecimus hæc transferendo ut qua-
liscunq; sensus non abhorrens à Græcis redderetur.
Quæ certè sunt hoc loco obscura, neq; ut suspicio
est, integra ὁ emendata.

Parturiat.) τὴν ὠδίνουμένην. translatio à ni-
tentibus grauidis, ut foetum edant. ὁ hæc est uera
scriptura.

Quorum ὁ fidei committat.) Scripturam edi-
tam nos mutauimus hoc modo. φιλόσοφος ἐ-
ρασις ὠρ βασιλέως ἀρ' ἀξιοῖ καὶ πειθεῖται δ'
σῶμα καὶ σωαυλ. Et uel ueram hanc esse uel
non longè à uero abesse arbitramur.

Secernenda esse.) ἐκκεῖναι, medicinae uerbum.
ὁ ἰατρῶν παῖδες, Græca phrasis. Medici.

Vel ab agricultura nostra.) Etiam agricolas ar-
mandos esse censet, ὁ omnis conditionis atq; ordi-
nis mortales, ut præsidia popularia sint ὁ quasi do-
mesticus

domesticus ac proprius exercitus. Est autem in
Græco φίλος γεωργίας. Qui enim nostri, id est,
cari aut consanguinei dicuntur, ἢ Græcis φίλοι etiam
sunt.

Pudorem uel meliorem.) Secundum hoc,
αἰδῶς ἢ τ' ἀνδραμέγα σίνετα ἢ δ' ὀνίνκοι.
Est autem duplex uerecundia secundū Euripidem,
ἢ μὲν οὐ κακή, ἢ δ' ἀχθὸς οἴκω.

Nostro Marte uincere.) αὐτὸς γέμ τὰς νί=
κας. ut uictoria nostrum sit opus, non aliorum, eo=
rumq; externorum.

Consiliare Iuris numen.) Δέμιτρον Βαλαίαν. ἀπὸ
τῆς Βαλῆς est Βαλαία consilij præses iuris nu=
men. Themis enim iusticia est. σισύρα autem uestis
fuit uilis consuta pellibus. Ἐ stragula hæc est in Ne=
bulis.

Eductiones ensis commodas.) Ζιφθαλκίας εὐ=
μοιρίαν, numeri sunt Iambici dimetri, ut aliqua ἀ=
πεκδοχὴ ista esse uideatur.

Capillatos ad Euboicum morem.) κομῶντας
εὐβοϊκῶς, secundum hoc ex catalogo,
ὅσοι μὲν ἄβαντες ἔπντο δοοὶ ὀπιθῶν κομῶ=
ντες.

Theatrum lustraretur.) γένοιτο καθάρσια.
de gladiatorum conuulsione Ἐ cæde hæc dicuntur.
Historia autem belli seruilis nota est. in Latinis libris
pro Crixo falso alicubi Chrysos scribitur. Quod au=
tem de Pompeij fortuna addidit Synesius, id quasi ἔ=

περὶ γὰρ ὧν δὴ κῆρ εἰς narrationi suæ, cum Crassus bellum
illud confecerit.

Cogitare debes.) οὐκ ἐννεόκηκας; Mutauimus
figuratam orationem interrogatione in simplicem.
Versus autem Homericus est οδ. ρ'.

Morbo effæminati.) νόσος δηλείας. Ita enim
scribendum ex Herodoti libro primo. Historiæ au-
tem quarum mentio fit hoc loco in promptu sunt. Ver-
sus Homerici sunt ἰλ. δ'. εἰς ἰλ. α. εἰς ἰλ. λ'.

Atq; de ed.) Transitio hæc est, εἰς à Rhetoribus
dicitur. εἰς, ἀπόθεσις est, id est clausula. Plato
Charmide. εἰς ἢ μὲν δ' ἐγώ. εἰς sepe in Tragædijs
inter ῥήσεις.

Ei illud nimirum inferetur.) Scribendum πλεμ-
θήσεται. Et postea, bellum denunciatum, πόλε-
μος ὑπὸ χυδρόνων, quod præ se fert εἰς ostendit.
uel quod imminet εἰς adornatur. Cuncta autem au-
dire εἰς cernere, Solem dicit Homerus. Et de Vlyse
se, fuisse hunc suis mansueti parentis instar. οδ. ε'.

Dimensum pabulum.) Plutarchus in Cleomene,
priscum Archidamum retulit hoc dixisse. πόλε-
μος τεταγμένα οὐσι τῆται, cum socij postu-
larent definiri tributa. In dictis Laconicis tamen hoc
lapsus memoria, Archidamo Agesilai filio ascripsit.

Quales nobis reddant.) Illud ἡμῖν πρὸς ἄλλους
quodam modo, ut, Tum mihi fiunt senes. id est, Qua-
les reddere soleant eos qui illis quasi deliquescunt.

Cum

Cum tertio.) bonorum ordinem confundi dicit
& perueri ab auaris & intentis rei faciendæ, qui
sunt χρηματιστικοί, Mercatores & fœneratores.
Est autem ordo ille, interiorum, quæ sunt animi bo-
na. Corporis, simpliciter externorum, id est, for-
tunæ.

Vt ipse bonus.) Scribendum enim ἀγαθὸς non
ἀγαθῶς. Ζῆλον nunc studium interpretati sumus.
de quo supra.

Largitorem rursus.) τὸν δὲ ὠρετικὸν πάλιν.
Id est, repetentes illa nomina quæ Deo attribui so-
lent largitoris bonorum & propicij.

Hic fons lucis.) πηγὴ φωτὸς ὄντι. Græca
phrasis. & hæc scriptura uera est.

Moderatores.) ἄρμοςάς. Nomen peculiare præ-
fectorum Spartiatarum, qui in ciuitatibus sociorum
collocabantur. Reipublicæ, interpretati sumus τὴν
ὄλωρ, quæ est summa rerum.


Sub aperto cælo & in acie uersari.) ὑπὲρ αἰθέρος
enim dixere quod esset expositum cælo, & campos
teneret. sicut exercitus productus ex urbibus.

Plane enim scire debes.) Hoc loco uehementer
hæsit interpretatio. neq; habeo quid dicam, nisi quod
in procliui est, mendo non carere Græca, & esse for-
tasse mutila, quæ hic exponuntur. de quo ut ego non
dubito, ita sentiat & faciat quisq; quod uisum fuerit.

Quibuscunq; enim gaudet Imper.) Sententia à
ueteri-

ueteribus saepe & multum usurpata. Cicero in III.
 de legibus ita. Nam licet uidere, si uelis replicare
 } memoriam temporum, qualescunq; summi ciuitatis
 } uiri fuerint, talem ciuitatem fuisse, quaecunq; mutatio
 } morum in principibus extiterit, eandem in populo
 } secutam. Aristoteles breuius hoc, politicorum se-
 cundo, ὅ, τι δ' ἂν ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ
 κύριον, ἀνάγκη καὶ πρὸ ἄλλω πρῶτον
 δ' ὅζαυ ἀκολοθεῖν. Versus Homericus
 est ἰλ. ι. Et sermonem esse um-
 bram rerum, dictum
 Democriti.

FINIS.



ΕΚ ΤΩΝ ΣΟΥΙΔΑ.


ΣΥΝΕΣΙΘ' ΕΠΙΣΚΟΠΘ', ΕΚ ΠΤΟΛΕΜΑΪΔΟΣ
 ΠΩΓΥΝΤΑΠΟΛΕΩΣ ΦΙΓ' ΛΙΒΥΗ ΘΥΒΑΪΔ' Θ'
 ΦΙΛΟΘΦΘ' ΤΩ ΙΕΡΑΖΙΚΩΝ ΓΥΝΟΜΝΘ', ΕΓΡΑ
 ΨΕ ΒΙΒΛΙΑ ΔΙΑΦΟΡΑ, ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΑ ΤΕ ΚΑΙ
 ΛΟΓΟΦΑ, ΚΑΙ ΛΟΓΟΣ ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ, ΠΑΝΗΓΥΡΕΙ-
 ΚΟΣ Η ΕΠΙΔΕΙΚΤΙΚΟΣ, ΕΓΚΩΜΙΟΝ ΤΕ ΦΑΛΑ-
 ΚΡΑΣ, ΚΑΙ ΠΟΔΙ ΠΡΟΝΟΙΑΣ ΛΟΓΟΝ ΘΑΥΜΑΣΙΟΝ,
 ΕΜΠΛΩΙΚΩ ΧΑΡΑΚΤΗΡΕΙ, ΚΑΙ ΆΛΛΑ ΠΛΕΪΣΑ ΚΑΙ
 ΔΙΑΦΟΡΑ ΒΙΒΛΙΑ ΣΥΝΕΤΑΞΕ, ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΑΥ-
 ΜΑΖΟΜΕΝΑΣ ΕΠΙΣΟΛΑΣ.

ΕΚ ΤΩΝ ΕΥΑΓΓΡΙΟΥ
 ΧΟΛΑΣΙΚΩ.


ΤΑΥΤΑ ΜΟΙ ΙΟΜΨΩΣ ΩΣ ΔΙΩΑΤΟΝ ΠΟΣ
 ΝΧΜΛΩ, ΦΕΡΕ ΚΑΙ ΣΥΝΕΣΙΘ' Ο ΚΥΡΗ-
 ΝΑΪΘ' ΕΣ ΜΕΣΟΝ ΗΚΕΤΩ, ΤΗ ΟΙΚΕΙΑ ΜΝΗΜΗ ΙΟΣ-
 ΜΗΣΩΝ ΤΩ ΔΙΑΛΕΞΙΜ. ΕΤΘ' Ο ΣΥΝΕΣΙΘ'
 ΗΡ ΜΛΝ ΤΑ ΆΛΛΑ ΠΑΝΤΑ ΛΟΓΙΘ'. ΦΙΛΟΘΦΪ-
 ΑΡ ΔΕ ΕΤΩΣ ΕΣ ΤΟ ΑΚΡΟΤΑΤΟΝ ΕΖΗΣΚΗΣΩΝ,
 ΩΣ ΚΑΙ ΠΡΑ ΧΡΙΣΙΑΝΩΝ ΘΑΥΜΑΔΙΩΑΙ ΤΩ
 ΜΗ ΠΡΟΠΑΘΕΙΑ, Η ΑΝΤΙΠΑΘΕΙΑ ΚΕΙΝΟΝΤΩΝ
 ΤΑ ΟΡΩΜΕΝΑ. ΠΑΘΕΣΙ Δ' ΟΥΩ ΑΥΤΟΝ ΦΙ ΣΩ-
 ΤΗΕΩΑ

τηριώδης παλιγενεσίας ἀφιωθίωαι, καὶ
τοῦ ζυγοῦ ἐν ἰερωσιύης ἐπελθῆμ, ὅπω
τοῦ λόγου ἐν ἀναστάσεως πᾶσαδεχόμε
νομ, οὐδὲ δοξάζειν ἐθέλοντα, ὑθυβόλως
ἐν μάλα σοχασάμενοι, ὡς ταῖς ἄλλαις
τᾶνδρός ἀρεταῖς ἐψεται καὶ ταῦτα, ἐν
θείας χάριτῳ μηδὲν ἐλλιπὲς ἔχειν ἀνε
χομλῆς, καὶ οὐκ ἐψεύδησαμ ἐν ἐλπί
δῳ. οἶθῳ γὰρ καὶ ὅσῳ γέγονε, τεκμη
ριῶσι μὲν αἰ κομφῶς αὐτῷ καὶ λογίως με
τὰ τὴν ἰερωσιύην πεποιημλῆαι ἐπισελαί,
ὅ, τε πρὸς αὐτὸν θεοδόσιον προσ
φωνητικός λόγῳ, καὶ ὅσα τῶν
ἐκάνθ χρησῶν φέρεται
τόνωμ.

τέλθῳ.



Jd 6919 5









Farbkarte #13

B.I.G.

4
SII CY-
ORATIO
DIVM THEO-
REGNO, ID EST,
eratoris seu Regis:
ræcepta salutaria
ommunibus
priuatis.
IN LATINVM
MONEM.

A HISTO
DE AVTORE.
no Camerario
peperg.

SI AE.
INA VALEN
PAPAE.
Anno
D. LV.

lg 3546